

DIETERICI HERM. KEMMERICHII,

ICTI, SERENISS. SAX. DUCUM STIRP. ERNEST. CONSILIARII, AUL. CODICIS ET NOVELL. PROF. PUBL. CURIÆ PROVINC SAXON. FAC. JURID. ET SCAB. ASSESSORIS IN ACAD. JENENSI,

SYNOPSIS
JURIS CRIMINALIS

PER

SUCCINCTAS POSITIONES

DELINEATI

IN USUM PRÆLECTIONUM ACADEMICARUM.



Acceffit Legum delectus, quæ Conclufiones Criminales refpiciunt ad ufum Scholæ, & Fori.

Collegit D. A. D. ex Libris Digeftorum, & Codicis

CUM PRÆFATIONE D. A. V. M.



PISIS ANNO MDCCLXVIII.

EX TYPOGRAPHIA AUGUSTINI PIZZORNO.

CUM FACULTATE.



PRÆFATIO
EX PATRIO
IN LATINUM SERMONEM
A B. A. S. CONVERSA.

DIù sapientiores viri nocturnis, diurnisque laboribus insudarunt, ut Jurisprudentiam universam a scolasticorum quisquiliis, & rabularum nugis, ac densissimis involucris vindicarent, & in eam post assiduas meditationes venere Sententiam, tantum opus solummodo criticæ agnoscendarum rerum, ac pertractandæ materiei methodo confici posse. Et sane hujusmodi præsidio cujuslibet argumenti interiora principia recluduntur, claræ, & adæquatæ quæstionum ideæ possideantur, recta in dubitationibus efformantur judicia, Leges, & consuetudines ad casus in praxi occurrentes conferuntur.

Ex hoc rerum sistemate ita constituto fateamur oportet, Jurisprudentiam per magnam utilitatem, & commodum consequtam fuisse, atque e crassis, spississque plurimarum legum, sententiarum, opinionum, decisionum, & auctoritatum, quibus circumferebatur, tenebris, ac tot, tantisque inanium distinctionum, & sophys-

matum vepribus, quæ ad Pyrronis caſtra ſemper ducunt, magiſque ad ſcepticorum propoſitiones fovendas, quam ad veritatem comparandam excitant, atque inflammant, caput extuliſſe! Oh tempora, oh mores, quibus Juriſprudentiæ facultas Romanis tantum legibus circumſcribebatur, quæ breviorem quamvis, certam tamen, tutamque viam Juriſconſultis patefaciebant! At noſtrorum temporum Juriſprudentia tam longe, lateque pervaſit, ut de Romanis Sanctionibus jure, meritoque dici poſſit = apparent raræ nantes in gurgite vaſto =, quo nimis nimiſque undarum, ventorumque arbitrio jactantur, neque portum, ehu miſeratione digniſſimæ, quo confugiant, reperire poſſunt. Quot Ulpiani, quot Papiniani, quot demum Triboniani ſæculo decimo primo jam elapſo floruerunt, qui concluſiones recens inventas, & multitudine quidem innumerabiles ſuppeditarunt, quæ forum, curiamve pæne, ut ita dicam dilaniavere. Nonnullæ Juriſconſultorum Bibliothecæ jam emporia quædam dici poſſent, ad quæ undique cujuſcumque generis merces afferuntur, quæ civium bona, & fortunas quandò quidem diripiunt, & Reipublicæ tranquillitatem evertunt. Ex tanta librorum copia, atque ex tot opinionum diſcrimine Probabiliſmi phantaſma illud, quod tantam luem in Theologicas diſciplinas olim invexit, etiam in noſtra Juriſprudentia emanavit, in qua firmiſſimam deinde ſedem obtinuit, ac domicilium. Hinc interdum

dum Judices non tantum Legum, atque justitiæ vindices, sed bonorum, & vitæ civium pæne Domini evaserunt. In pragmaticorum conspectu sæpe sæpius Fusarij, Concioli, Cencij, Mascardi, Tuschi, Angeli, Clari, aliorumque auctoritates Legum fontes conturbant, qui eas quasi proprio Marte, non suadente æquitate, sed clientelari argento id jubente definiunt, atque ad praxim juxta eorum sententiam diducere conantur. Oh crimen in ultimas terras amandandum, quod etiam Accurtij junioris temporibus vehementer, ac diuturnis lacrymis nonnulli praclarissimi, & doctissimi viri perlugebant! Probabilismi regnum eo usque devenit, ut plurimi arbitrarentur, puram putam Jurisconsulti alicujus, sive potius leguleij levem interdum, ac nullius momenti opinionem ad justissimam, quæ ex Legum penu optime proficiscatur, causam in dubium revocandam sufficere: quod Phylosophi ægre, molesteque ferebant, atque, uti Cicero in Antonium, & Verrem Vatiniano odio, ac stylo ferreo prosequebantur.

Quid postmodum dicendum de infinitis, glomeratisque Consulentium libris? Quæ nam dementissima opinio extitit, quæ ab iis ad causæ opportunitatem prolata non fuerit? Vana delirantium somnia, & volubilia infirmorum spectra in forensibus consultationibus quam facile deteguntur? Quodnam prælium & cereus in contraria sensus in illorum sententiis confestim agnoscitur, ut Paulus Franciscus Perremutus demonstravit? aiij In

In ipsis nonnullorum Tribunalium, & Forensium Subselliorum decisionibus non raro Astreæ gladium moderata est opinionum pugna, Decisorum repugnantia, & frequentissima Legum, & Constitutionum antinomia, ut observarunt Cardonus, Corasius, Dansius, Zanchius, Januarius, cæterique.

Plurima, atque inter se discrepantia Jurisprudentiam summo mærore affecerunt, ac librorum copiæ, quæ ad rectam Justitiæ administrationem spectare videntur, materiem præbuerunt atque argumenta; ad rectam Justitiæ administrationem, inquam, illius nimirum Divinæ Imaginis, atque similitudinis, quæ in omnium animis altas, ac profundas radices agit, & quæ iis naturæ, æquitatisque fundamentis innititur; quæ omnes gentes sentiunt, perspiciunt, ac probè cognoscunt. Has inter causas recensentur disceptandi studium, ac Forensium Subselliorum caterva, quibus omne, etiamsi nullius momenti sit, adtrutinam diligentissime revocatur, cum multa oretenus, & summatim definiri possent; Legulejorum multitudo, qui civium dissidia excitarunt, ut impune lucrarentur, atque e contra librorum, qui nervose, conncinne, adposite, atque eleganter in totius societatis primordia, atque in intimos illius penetrales sinus pervadunt hac nostra tempestate, defectus. Dum veteres Philosophi, atque Sapientiæ acerrimi Sectatores morum præcepta frequentissime omnium gentium populis significabant, tunc naturæ Leges,

atque

atque jura facilius servabantur: nam hominibus mutua officia, quæ inter se ipsos intercedere debent, comperta erant, ac lites confestim e medio auferebantur. Hinc Ægyptiorum Leges summis laudibus, atque immortalibus præconiis sunt extollendæ. Scholasticorum methodus, quæ deinde viguit, ad controversias statuendas inventa, ut ita inquam, videtur, iisque re quidem vera potissimum inservit. Etenim eorum Philosophorum siccis quidem, ac perobscuris distinctionibus, & subdistinctionibus, divisionibus, ac subdivisionibus Pirronis sententia inter omnes Jurisprudentiæ partes extat, atque eminet, ac veritas in squallore, & sordibus delitescit. Opinionis imperium in justitiæ argumentis, atque in juribus, hominumque privilegiis dimetiendis constringendum esset, quod, ut animadversum fuit = evenit nonnunquam, ut veluti ovem unam saltantem sequuntur aliæ, ita, & Doctores faciunt, Doctoris vestigia sectantes, æquum ab iniquo separare ulterius non studentes, licitum ab illicito discernere non semper cogitantes, bonum & justum noscere, ut par est, minime laborantes = Singula in paribus negociis a Lege tantum dirimenda forent, & non ab humana imaginatione; sed in maxima opinionum, decisionum, & consuetudinum frequentia cuncta sæpius hominum imaginatio operatur. Palam quidem est, tam gravem, & peracutum morbum, qui cæteras Jurisprudentiæ provincias in-

fecit, minime criminalibus institutis pepercisse.

Jus in crimina, & Coactiva Potestas, quæ una cum priscis societum, & Regnorum fundamentis ortum duxere suum, longo sæculorum intervallo, & varia rerum humanarum vicissitudine sanctiones suas, & consuetudines hinc inde actas, diversisque moribus, & conditionibus obnoxias prospexerunt. Etenim quælibet gentium species, leges, statuta, & peculiares consuetudines in jus dicendo sibi metipisi vindicavit, ac singulare in judiciis criminalibus dirigendis, in humanis actibus perspiciendis, atque in criminibus definiendis systema servare opportune factum existimavit. Pœnæ etiam diversæ diversis quidem temporibus juxta variam Regnorum disciplinam, & formam sancitæ fuerunt, ut Scriptores omnes, atque annalium monumenta nobis testantur. Quo magis, vel minus Reges phylosophati sunt, aut Phylosophi juxta Platonis sententiam regnarunt, & Magistratibus præfuerunt, eo magis, vel minus clementia, & humanitas in regendis populis effulxit, & pœnæ juxta rerum indolem, atque naturam patratis responderunt criminibus.

Romani Legum Latores delictorum seriem in publica, & privata distinxerunt, atque inde criminalium judiciorum momenta tum in accusantium querelis, tum in omnibus criminalis judicii circumstantiis, & conditionibus, quadam ipsorum criminum proportione servata moderabantur.

Itaque

Itaque cujuscumque generis pœnæ nil aliud quam delictorum naturam, pravam reorum voluntatem, ac detrimentum Reipublicæ inlatum spectabant.

Romani Imperii magnitudo tandem cecidit: quoniam moriuntur, ut homines, Regna, moriuntur Imperia. & quidquid sub sole jacet, extremum patitur fatum, quod etiam Jurisprudentia extremis calamitatibus involuta, perpessa fuit. Nam dum hæc mala necessario hominibus obveniunt, forsan humanarum Legum conditio melior esse non poterat.

Gothorum, Langobardorum, & Francorum Gentes, dum victorias referrent, atque undique triumphum canerent, Italicorum mores suis Legibus, constitutionibus, & consuetudinibus accomodarunt. En criminalis Jurisprudentia novâ methodo innixa, en judiciorum facies penitus immutata: en diversa pœnarum genera statuta, aliique probationum fontes reclusi, qui ignorantiæ tenebras, morbi phanatici errorem, eorumque temporum præseferunt immanitatem. Pro certo tamen habendum est, tot inter negocia aliquod recto sane, & maturo judicio sancitum fuisse, dum comitia a Langobardorum Regibus, cæterisque populorum Moderatoribus, Ducibus, ac Principibus quot annis convocarentur, ut Legislationem recens inductam, ad propositiones ad eam spectantes augerent, & confirmarent. Hac de re a doctissimo, & præclarissimo viro Ludo-

vico Antonio Muratorio monumenta diligenter congesta, sunt perlegenda Attamen compertum est apud omnes, pœnas pecuniarias, quibus facinorosi homines in omni criminum genere tunc plectebantur, facillime justi, atque injusti mensuram conturbare potuisse, atque honesti, & iniqui naturam confundere, cum sæpe sæpius propter hoc latissima aperiretur semita prædivitibus ac potentioribus, ut invidum animum, iram, vindictam, cæterosque truces affectus, veluti belluæ explerent. Hinc factum est, ut singula jura quæ unumquemque hominum decent, quotiescumque homo est, eoque magis, cum membrum alicujus societatis efficitur, delerentur, & non raro Anarchia constitueretur. Sapientissimum quidem est, optimum, & florentissimum regimen illud, in quo quisquis sub sanctissimarum Legum præsidio vivit, & agit, omnisque timoris inscius, securus obdormit sub umbra, & auspiciis illius Potestatis, quæ una cum sapientia, & mansuetudine vigilat, ut optimus Civis feliciter degat, & securus obdormiat

Sed tandem splendidissima lux illa affulsit, quæ per universam Europam politicam armoniam revocavit, & hinc artes, dulcissimæ Palladis filiæ, quæ optato pacis tempore summopere efflorescunt, innocuos mores, animorum lenitatem, & quamdam Societatis temperiem sibi conjunxerunt, & Phylosophia earum perpetua Mater, & altrix homines antiquis consue-

fue-

ſuetudinum indumentis, vehementer errorum copia ſubacta, expoliavit.

At nimirum, ehu nimium in criminali Juriſprudentia ſcribere maluerunt Doctores, nimium Leges, & ſanctiones interpetrari, nimium diſceptationibus tribuere, nimium opinionibus concedere.

His accedunt etiam pœne innumeræ Tractatuum, Reſolutionum, & practicarum Elucubrationum turbæ. Quem nam latet, quot volumina de probationibus fuerint exarata, in quibus profecto mens potius reos temere, atque inconſulto proſcribendi, quam crimina detegendi luculenter conſtat. Quem nam latet, quot Conſultationum criminalium libri in lucem prodiere quæ forum, ut ita dicam, obruerunt? Quem denique latet, quot ſcripta, & quot perridiculæ quæſtiones de remotis, proximis, & proximioribus indiciis, ac fundamentis emanarunt? Equidem nos etiam, ægre quamvis, ac moleſte vaſtiſſimam, ac pœne infinitam ſermonum congeriem de quæſtionibus criminalibus, de tormentis, & de exaſperatione pœnarnm jam vidimus, quæ potius Phyſicas Concluſiones de dolore, & cruciatu, quem reus in cunctis corporis artubus, & membrorum compagibus experiri debet, continere videntur. Melius profecto ii auctores ſe geſſiſſent (eorum pace dictum ſit) ſi oleum, atque operam collocaſſent in elucubrationibus conficiendis de modo impediendi crimina, qui, ut ſapientiſſimus Loccenius animad-

madvertit, in recta filiorum institutione consistit, quæ a Tullio omnium rerum parens nuncupatur, atque in muneribus, præmiisque proponendis iis Familiæ, & rerum domesticarum præsidibus, qui natos suos dulcissimos, usque ab incunubilis justis, æquisque timoribus, ac levibus emendationibus moderantur, eorumque animi motus, luxuriam scilicet, ferocitatem, avaritiam, ebrietatem, & otium denique omnium vitiorum segetem opportune cohibent, adeo ut, quæ ex iis atrociora, ac nefanda crimina proficiscuntur, adulteria nimirum, furta, homicidia, sacrilegia, atque alia permulta respuant, ac penitus perhorrescant.

Absit omnino, ut prædicta criminalium disputationum volumina prorsus reprehendam, & critices injustæ methodo perstringam. Sed tuto fateri oportet, majori laude dignos semper extitisse Scriptores illos, qui lecta moralis disciplinæ semina, axiomata, & præcepta in omnium animos huc, atque illuc proiiciunt, & late diffundunt; quibus probe perspectis præsentia facillime cernuntur. & crimina amoventur futura.

Quamorbrem tot inter libros, & conclusiones, tot inter tractatus, & decisiones, tot inter quæstiones demum, atque antinomias, quæ diù criminalem provinciam tenuere, illud erat maxime optandum, quod ad unumquemque juvenum, adhuc criminalis scientiæ latices delibantium magis conducere videretur, ut optimus

mus Jurisconsultus evaderet, atque integerrimus & sapientissimus Judex. Ex recta studiorum methodo tam grandia bona profluunt. Iste laudatissimi Kilmerichij libellus, licet consuetum systhema sectetur, tam in criminum definitionibus, & divisionibus, cæterisque criminalis processus circumstantiis, tamen summopere commendandus occurrit tam ob sui brevitatem, & materiei nitorem, quam ob illa rerum solida, firma, & moralia principia, quæ humanos actus, animi motus, & facinorum discrimina justa lance dimetiuntur.

Concinnæ, atque eleganti disertationi argumenta suppeditaret Legum criminalium conditio, quæ in Italorum Regionibus octavo sæculo exeunte viguerunt, simulque Romanarum Sanctionum investigatio, quæ in iis locum obtinuerunt, dum peculiaria statuta ubique Italicarum gentium orirentur, & municipales constitutiones.

Plurimis vero dissertationibus uberrimam segetem subministrarent Jurisprudentiæ Criminalis vicissitudines, quæ in vario publicorum regiminum fato obvenerunt, atque ea Legum permixta congeries, ac tot diversæ populorum consuetudines, quæ criminalium judiciorum ordinem composuere.

Tandem novum disceptationis argumentum foret animadversio in originem, naturam, & varietatem patriarum Legum, & quomodo eædem immutatæ, ac renovatæ ad nos usque profectæ fuerint. Sed

Sed extra consuetos Præfationis limites egrederemur, si omnia, quæ ad criminalis Jurisprudentiæ veram, germanamque criticen pertinent, in medium proferremus. In tanta igitur rerum Criminalium dicendarum copia, in tot difficillimis quæstionibus, atque in tot Doctorum inter se digladiantium sententiis nonnullos canones tantum benevolo Lectori exhibere optimum duxi, quos familiaris quidam in literis ad me datis significavit, & quos ille non ex inanibus commentis, sed ex ipsius naturæ codice deprompsit.

I.

Quodcumque crimen humanam actionem dolo, & alterius detrimento patratam complectitur, horumque objectorum habita proportione augetur, minuiturque enormitas criminis.

II.

Varia criminum consideratio pari gradu procedit cum varia divisione humanorum officiorum, earumque obligationum, quæ naturales, & sociales nuncupantur.

III.

Quemadmodum officia, & cujuscumque hominis obligationes, vel Deum, Religionemve attingunt, vel ad Rempublicam spectant, vel privata jura, negocia, & civium fortunas respiciunt, ita hujusmodi præceptorum violatio tria, ac inter se diversa criminum genera progignit.

IV.

IV.

Prima Deum, & Religionem lædunt, secunda Reipublicæ salutem, ac tranquillitatem pessumdant, vel politici corporis conservationem impediunt; tertia demum civium jura perturbant, quæ diversimode contingere possunt, & præcipue aut eorum vitam,& membra auferendo,aut eorum bona diripiendo, aut eorum decus, honestatem & famam violando. Ex hac altiori divisione cæteræ consequuntur.

V.

Quicunque dolo malo, atque in pleno libertatis usu constitutus memoratis obligationibus nequaquam satisfacit, reus confestim evadit, atque justas pœnas suo crimini respondentes promeretur.

VI.

Varia obligationum indoles, & natura cum diversam objecti alicujus præstantiam contineat, crimen, vel magis, vel minus grave decernere potest.

VII.

Cum in prædictis obligationibus contemnendis plurima damna in Rempublicam derivare possint, hinc eorum servata proportione qui illorum causam excitavit, magis, vel minus reus dici potest, & magis, vel minus culpandus. Quare apposite scriptum fuit = qui ignotos lædit, latro appellatur, qui amicos, paullo minus, quam Parricida.

VIII.

VIII.

Ut criminis gravitas, atque atrocitas rite, recteque perpendatur, plurima animadversione digna sunt, objecti scilicet conditio, damnum illatum, prava, ac scelesta auctoris voluntas, varia causarum series, quæ in criminosam actionem intenderunt, passionum, & libertatis conditio, in qua, quisque, dum Legem violavit, reperiebatur.

IX.

Equidem eadem actio, legibus æque opposita, quæ a pluribus exerceatur, pejor, & criminosior existimanda, cum ab aliquo mala præcedenti voluntate, ac summa temeritate exerceatur, ea, quæ inconsulto, atque subita animi perturbatione exercetur.

X.

Hinc amor, odium, iracundia, Zeloteypia timor, & modica reorum experientia in criminibus ad diligentissimam trutinam reducenda sunt.

XI.

Quamobrem sapienter, atque eleganter antiquus ille Philosophus scripsit = Nonnumquam sapiens magna scelera levius, quam minora compescet, si illa lapsu, non crudelitate sunt commissa, & si secundis inest latens, ac inveterata calliditas; idem delictum in duobus non eodem modo afficiet, si alter per negligentiam admisit, alter curavit, ut nocens esset =.

XII.

XII.

Loci, ac temporis circumſtantiæ pro crimine reis imputando, & pœnæ quantitate ſtatuenda animadverti debent; nam crimen coram omnibus patratum atrocius extat, quam crimen latenter commiſſum, quia primum ſemper malum præſefert exemplum, & longe deteſtabilius peccatum ſemper dici poteſt in ſacris ædibus, quam in ſecretiori cubiculo, perpetratum.

XIII.

Reipublicæ valde intereſt, ut rei citius detegantur, & congrua pœna afficiantur.

XIV.

Jam vero, ut ii detegantur, ne latum quidem unguem a Legum ſancita methodo divagemur oportet ſive fallacibus petitionibus, ſive captioſis interrogationibus, quod ſæpe contingit, dum nonnullorum animi levitas, ac demiſſio, modica in dicendo ſententiarum conjunctio, difficilis, atque inadæquata idearum, & judiciorum relatio, quæ plebi communia ſunt, latiſſimam reſponſionibus ſemitam adaperiunt, quæ alicujus criminis ſpecimen complecti videntur, ſed reipſa nullius momenti extant; atque ita facillime ea indicia exoriuntur, quæ de more variis tormentorum generibus opportunitatem præbent.

XV.

Si captiones, fallaciæ, ac sophysmata spiritus humani infirmitatem vincere, tormenta sane corporis valetudinem superare, & sæpius criminum confessionem ab iis, quos profecto innocentia tuetur, extorquere possunt.

XVI.

Quapropter in tormentis, vel alia quavis vi adhibenda, ut veritas extorqueatur, maxima prudentia & summa æquitas omnino servanda est.

XVII.

Dum rei plenis probationibus convincuntur, Legi, quæ eorum sortem decernit, subjiciendi sunt. Homo nequaquam alteri homini vim infert, dum pœnæ locus præbetur, sed lex tantum, quæ sub retributionis, sive talionis specie districte jubet, eum hominem detrimentum pati, quo illle alterum hominem affecit.

XVIII.

In hujusmodi, ac similibus circumstantiis humanum arbitrium non minus frustraneum, quam periculosum, ideo reiiciendum, eo quod homo societatem ingressus, non alterius arbitrio, sed Legi tantum se ipsum devinxit.

XIX.

Gentium Historiam perquirentes, minime æqualem, & pariformem pœnarum ideam, ac men-

mensuram invenire licebit, cum aliæ certo modo, aliæ vero diverso de criminibus vindictam sumere consueverint. Athenienses furtum in plateis, vel in portu, sive alio publico loco consummatum extremo furis supplicio vindicabant. Vetus autem jus Romanum furem in actu criminis deprehensum ad quadrupli restitutionem damnabat, cæteros vero fures ad dupli restitutionem. Hocce pœnarum discrimen juxta diversas populorum Leges, & consuetudines, quoad alia etiam crimina reperitur.

XX.

Humanas pœnas duplicem finem, publicam nempe utilitatem, & privatum bonum continere in comperto est.

XXI.

Pœnarum ope mala, detrimenta, atque injuriæ coercentur, quæ homines ab aliis hominibus ne inferantur, vereri possunt.

XXII.

Pœnæ magis probandæ sunt, omnique Laude excipiendæ, dum reorum emendationem pariunt, & politici corporis salutem, ac tranquillitatem tuentur.

XXIII.

Hæc commoda non semper ab iis pœnis proficiscuntur, quæ corpus torquent, sed ab iis quæ maculosa nota superstites reos inurunt, atque animum vehementer excruciant.

XXIV.

XXIV.

Nec constans pœnarum genus, nec cunctis criminibus eadem pœna communis esse potest. Nam aliquoties remittitur, quod alio tempore Reipublicæ status puniendum expetit.

XXV.

Plura evenire possunt, in quibus gratia, & pœnæ remissio locum sortiantur.

XXVI.

Inter hæc recensentur præterita in Rempublicam merita, & rei labores, ejus in aliqua arte præstantia, certaque spes, pulchris, præclarisque futuræ vitæ facinoribus reum patrata crimina deleturum.

XXVII.

Græcorum, Romanorumque monumenta frequentioribus hisce exemplis redundant.

XXVIII.

Inter ea, quæ magis ad veniam impetrandam ducunt, nec prætereundus calliditatis, & malitiei defectus, nec mentis infirmitas omittenda, nec ætas immatura, aliaque similia cum maximi momenti sit, dignoscere, an crimen ex nocenti animo, vel ex imbecilli consummatum fuerit, an sexdecim, vel quadraginta annorum ætate.

XXIX.

XXIX.

Dum crimina folus pœnarum metus amovet, a pœnis utique recedendum.

XXX.

Hanc femitam fapienter amplexum fuiffe olim Anguftum cecinit eloquentiffimus, & Phylofophus vates.

Multa metu pœnæ, pœna, qui pauca coercet,
Et jacit invita fulmina rara manu.

XXXI.

Ideo in Romanis Legibus, tamquam commune Axioma ftatutum fuit = In pœnalibus caufis benignius interpetrandum eft,

XXXII.

Veniam elargiri, & gratiam non Judicis, fed fummi Imperantis officium eft. Idcirco optime aurea verba tradidit ille, dum Cæfarem, alloquebatur = Occidere hominem contra Leges nemo poteft, fervare autem nemo præter te.

XXXIII.

Dum Principum Confiliatores veniam, & gratiam, proponunt, optimam rem quidem agunt, & dulciorem muneris fui partem implent, præcipue dum venia publicam non lædit tranquillitatem & nemini nocet.

XXXIV.

XXXIV.

Felix Rodulphus Imperator ille, qui dicere consuevit. = Beatos Reges esse, qui viros mansuetudinis, & cultores misericordiæ in curia assessores haberent =

XXXV.

Huc spectat Senecæ memorabile effatum = Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit. Diligentes Agricolas imitabitur, qui non tantum rectas, bonasque arbores colunt, sed illas quoque, quas aliqua depravavit caussa, & adminicula, quibus regantur, administrant: alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant; quasdam infirmas vitio loci nutriunt; quibusdam aliena umbra laborantibus cælum aperiunt. Secundùm hæc videbit Præfectus Sapiens, quod ingenium quanam ratione tractandum sit, donec in rectum prava flectantur.

XXXVI.

En regulæ pro universa criminum Scientia dirigenda forsan non inutiles.

Hisce utere, si tibi commodum est, benevole Lector, & vale diù.

PRO-



PROEMIUM
DE
JURE ET JURISPRUDENTIA CRIMINALI UNIVERSIM.

I.



US CRIMINALE, pro *complexu Legum Criminalium* acceptum, est pars juris privati, agens de *delictis*, eorumque *pœnis*, nec non *modo adversus delinquentes procedendi*.

2. JURISPRUDENTIA vero CRIMINALIS vel notat *systema doctrinæ*, ex Legibus criminalibus concinnatum, vel *Scientiam* earumdem, vel *Prudentiam* easdem recte impetrandi, & in puniendis delictis recte applicandi.

 3. Di-

3. Dividitur hinc in duas partes: Prima agit de *Delictis*, eorumque *Pœnis*; Secunda de *Judicio Processuque Criminali*.

4. Principia Juris Criminalis sunt: 1) Jus *Naturæ*, 2) Jus *Romanum*, 3) Jus *Germanicum*.

5. Idque tum *Imperiale*, præsertim *Constitutio Criminalis* CAROLI V. tum Provinciale, ut, Jus *Saxonicum* Commune, nec non *Constitutiones* & *Ordinationes Provinciales*, speciatim *Ordinationes Criminales* Statuum Imp.

6. Præter Jus scriptum etiam *Consuetudo* & *Observantia* cujusque loci, modo debitis requisitis gaudeant, pro norma hic attendenda.

LIB.

LIB. I.

DE DELICTIS EORUMQUE POENIS UNIVERSIM.

TIT. I.

DE NATURA ET INDOLE DELICTI.

I.

DELICTUM quod & CRIMEN vocatur, est *factum illicitum*, *Societati Civili noxium*, *& hinc pœnæ coercendum*.

2. Partes Delicti sunt: *Intentio* mala, ejusque *Executio*.

3. *Intentio*, quæ & *Voluntas*, itemque *Animus* delinquendi, appellatur, est propositum voluntatis efficax, ad facti illiciti perpetrationem directum.

Hæc quamdiu in mente retinetur, neque exterius sese exerit, delictum non est, neque adeo pœnæ humanæ subjacet.

4. Principium tamen est delicti, unde & veritas & qualitas ejus dijudicanda.

5. Eadem vel ex *impetu* procedit, vel ex *deliberato animo*.

6. Posterior *Proæresis* vocatur, quæ est actus mentis internus, ex decreto intellectus, & proposito voluntatis, constans, efficaci conatu delicti perpetrationem intendens.

7. Hæc ut perfecta sit, & *intelligentiam* requirit; sive plenum rationis usum, perfectamque juris & facti notitiam, & *Liberum* voluntatis *arbitrium*, sive facultatem eligendi, seque ad agendum vel non agendum determinandi, nulla vi impeditam.

8. Unde intelligitur, *imperfectam* esse proæresin, ubi vel intellectus judicium, vel voluntatis arbitrium, defectu quodam laborat.

9. Intentio mala etiam dicitur *Dolus*, quippe qui est propositum delinquendi, sive ex impetu, sive ex deliberato animo procedens. Unde & hic modo perfectior, modo imperfectior est.

10. A Dolo probe secernenda est *Culpa*, sive omissio prudentiæ diligentiæ-

que

que debitæ, præter intentionem agentis, effectum illicitum & noxium producens.

11. Hæc in *latam*, *levem* & *levissimam* distinguitur, prout vel communis, vel mediocris, vel exactissima prudentia aut diligentia est omissa.

12. *Executio* sive *Perpetratio* delicti, est factum externum, quo propositum malum ad effectum deducitur.

13. Hujus partes & gradus sunt: *Conatus*, sive actus, quo perpetratio delicti inchoatur & continuatur, isque vel remotior, vel proximior; & *Consummatio*, sive actus, quo eadem ad finem effectumque perducitur.

14. Ex dictis liquet, qui delinquere possint, nimirum, qui *doli* aut *culpæ* sunt *capaces*: quales censentur omnes, qui usu rationis, & libero voluntatis arbitrio gaudent; sive sint *singuli* homines, sive *universitates* aut *collegia*.

15. Effectus delicti est *læsio Reipublicæ*, eaque vel *immediata*, vel *mediata*, puta, per membra sua.

16. Hinc ex delicto perpetrato, atque Reip. læsione inde enata, eidem Reip. nascitur jus delinquenti pœnam irrogandi, illumque ad hanc patiendam cogendi.

TIT. II.

DE VARIIS DELICTORUM GENERIBUS.

1.

Delicta varie dividuntur. Prima, eaque facile princeps, eorum divisio ab *objecto* videtur.

2. Committuntur enim Delicta vel adversus *Deum*, vel adversus *Homines*. Ex his iterum alia directo & immediate *privatos*, ac *statum* civium *privatum*, concernunt: alia vero directo magis ac immediate *Rempublicam*, sive *Statum publicum*, feriunt.

3. Deinde (2) delictum, ratione *principii*, dividitur in *dolosum*, quod dolo, & *culposum*, quod culpa committitur: Illud *verum*, hoc *quasi*- delictum appellatur.

4. (3)

4. (3) Delictum aliud eſt *voluntarium*, quod a volente ac conſentiente: aliud *involuntarium*, quod contra voluntatem, vel per vim, vel per ignorantiam, vel per caſum fortuitum, admittitur.

5. (4) Delictum eſt vel *attentatum*, quod in mero ſubſiſtit conatu: vel *conſummatum*, cujus executio ad finem perducta eſt.

6. (5) Aliud eſt delictum *commiſſionis*, aliud *omiſſionis*: Illud actu poſitivo perficitur; hæc vero ſola negligentia & omiſſione officii debiti, conſtat.

7. (6) Delictum eſt vel *levius*, quod minus nocet, adeoque minori pœna afficitur, vel *gravius*, ſive *atrocius*, quod majorem læſionem infert, & hinc majori pœna, plerumque criminali, afficitur.

8. (7) A diverſo procedendi ac vindicandi modo Romanis olim delicta dividebantur in *Ordinaria* & *Extraordinaria*.

9. *Ordinaria* delicta erant, in quibus vindicandis, ſolenni judiciorum ordine ſervato, procedebatur. Hæc iterum vel *Publica* erant, vel *Privata*.

omnibus, ad inquirendum & vindicandum, denunciari.

16. Differunt tamen, quod in aliis pœna *ordinaria*, in aliis *arbitraria* locum habeat: in nonnullis etiam læsi ratio habeatur.

17. (8) Ratione pœnæ, delicta, etiam Jure ROM. sunt vel *capitalia*, quorum pœna est mors naturalis aut civilis: vel *non capitalia*, quorum pœna est pecuniaria, relegatio, vel aliqua corporis coercitio. *L. 2. ff. de Publ. Judic.*

18. (9) Delicta alia sunt *facti permanentis*, quæ vestigium aliquod externum, in oculos incurrens, post commissionem, relinquunt: alia *facti transeuntis*, quæ vestigium tale post se non relinquunt.

19. (10) Delicta ratione fori, dividuntur in *ecclesiastica*, de quibus Judex ecclesiasticus cognoscit; qualia sunt clericalia, vel in ecclesiam aut religionem admissa; *secularia*, quæ ad judicium seculare pertinent; & *mixti fori*, de quibus uterque Judex cognoscit.

20. De-

20. Denique (11) Delicta sunt vel *nominata*, quæ certum ac speciale nomen habent: vel *innominata*, quæ speciali nomine destituta, generali *Stellionatus* nomine veniunt.

TIT. III.

DE POENA IN GENERE.

I.

POENA est *malum, quod, propter delictum, ab Imperante, vel Magistratu, salutis publicæ causa, delinquenti patiendum imponitur*.

2. Fundamentum omnium Pœnarum est *Læsio Societatis Civilis*, ejusque *Salutis*, per factum Legibus prohibitum, adeoque saluti ejus adversum, ei illata: atque adeo *Satisfactio* eidem per pœnam, ad correctionem læsionis idoneam, præstanda.

3. Corrigitur enim Læsio Reip. per pœnam, dum & is, qui causa fuit mali vel emendatur, vel enervatur, vel e Republica tollitur, & simul alii, exemplo

pœnæ,

pœnæ, in delinquentem statutæ, a simili transgressione legum, ac Reipublicæ læsione, deterrentur.

4. Hinc intelligitur Finis Pœnarum: quippe qui vel *primarius* est, *Salus* nempe *Reip.* sive *Tranquillitas* & *Securitas* civium interna; vel *subordinatus*, nimirum intuitu delinquentis, hujus vel *emendatio*, vel *enervatio*, vel *extinctio*, intuitu aliorum vero, *exemplum* & *territio*.

5. Ex fine fluit & *Obligatio* Imperantis, & *Jus* circa pœnas delinquentibus infligendas: quod ejus nomine exercet Magistratus, cui *Jurisdictio Criminalis* concessa est.

6. Fluit quoque exinde, non punienda esse, nisi delicta Reip. *noxia*, & per pœnas *emendabilia*.

7. Sed & hoc inde fluit, non esse puniendum, nisi qui deliquit: adeoque delicti alieni pœnas nemini luendas esse.

8. Infligitur autem delinquenti pœnæ nomine *malum*, vel in privatione alicujus boni, vel in dolore aut molestia, consistens.

9. Sed

9. Sed ut finis obtineatur, *pœna* delicto debet esse *proportionata*, atque ad finem per eam obtinendam idonea: adeoque tantum mali inferendum, quantum ad refrenandam peccandi libidinem sufficiat.

10. Justa autem *proportio* inter delictum & pœnam ut servari queat, omnes delicti *circumstantiæ* probe considerandæ sunt, indeque & *gravitas* & *levitas* ejus æstimanda.

TIT. IV.

DE VARIIS POENARUM GENERIBUS.

1.

Varia uti Delictorum, ita & *Pœnarum*, dantur *Genera*, pro diversitate *mali*, quod, pro diversa delictorum gravitate aut levitate, infligendum est.

2. Et primum quidem aliæ pœnæ *Animum*, aliæ *Corpus*, aliæ *Vitam*, aliæ *Bona*, aliæ *Famam* & *Existimationem*, aliæ *Civitatem*, aut *Libertatem*, afficiunt.

3. Di-

3. *Diversa* autem earum *genera* vel ex Jure *Romano*, vel *Canonico*, vel *Germanico*, ac speciatim *Saxonico*, originem trahunt.

4. *Animum* potissimum afficiunt *Pœnitentia ecclesiastica*, & *Deprecatio Judicialis*, denique *Palinodia* sive *Recantatio*.

5. Quæ ad *Corpus* spectant, vel *molestia* tantum, vel *sensibili* simul *dolore* & *cruciatu*, istud afficiunt.

6. Prioris generis sunt; *Carcer* & *Vincula*, *Catena*, pœna *Numellarum*, *Ergastula* & *Opus publicum*.

7. Posterioris generis, quæ speciatim *Corporis afflictivæ* vocantur, sunt: *Fustigatio*, vel *Castigatio virgarum* in carcere, *Tratto di Corda* sive *Membrorum extensio*, *Stigmatis inustio*, *Abscissio duorum digitorum*, *Amputatio manus*, *Abscissio linguæ*, *Aurium* & *Narium resectio*.

8. Vitam afficit & auffert *Pœna mortis* sive *ultimum supplicium*: cujus varia iterum sunt genera, variique gradus; uti, *Decollatio* sive *Pœna Gladii*, Pœna *Suspendii* sive *Laquei*, aut *Patibuli*, Pœ-

na

na *Rotæ*, Pœna *Cullei*, sive *Suffocatio*, Pœna *Ignis*, *Dissectio* in *quatuor partes*; itemque varia augmenta, ut. *Impositio trabæ*, *Adustio forcipum candentium*, *impositio* cadaveris in *rota*.

9. *Bonis* damnum inferunt: *Pœna pecuniaria*, qualis est *Emenda Saxonica*; & *Mulcta*, itemque *Confiscatio* sive *Publicatio bonorum*, *Privatio feudi*, aliorumve *jurium*, aut *emolumentorum*.

10. Jura Civitatis, eorumve usum, afficiunt: *Interdictio*, ejusque species, *Suspensio* vel *Remotio* ab *officio*, itemque *Exclusio* vel *Suspensio* a *juribus Collegii*, *Relegatio*, *Confinatio*, *Exilium*, *Deportatio*. Damnatio ad *Opus publicum*, denique pœna *Banni*.

11. Famam & Existimationem afficiunt: *Infamia*, vel sola, vel cum aliis pœnis conjuncta, itemque *Privatio dignitatis*, variaque *Ignominiæ* signa externa.

12. Deinde Jure ROM. Pœnæ dividuntur in *Civiles* & *Criminales*: illæ sunt pœnæ pecuniariæ, quæ ad commodum privatum spectant; hæ vero, quæ id, quod Reip. interest, respiciunt. 13.

13. *Criminales* jure ROM. iterum sunt vel *Capitales*, quæ morte, vel exilio, caput eximunt e civitate Romana; vel *Non-Capitales*, quæ aliam coercitionem continent.

14. Hodie Pœnæ distinguuntur in *Privatas*, quæ ad satisfactionem privatam: & *publicas*, quæ ad satisfactionem Reip. primario tendunt.

15. *Publicæ* Jure SAX. vel *Civiles* sunt, quæ corpus principaliter & directe dolore non afficiunt: vel *Criminales*, quæ corpus doloribus & cruciatibus affligunt.

16. Hæ iterum vel *Capitales* sunt, quæ vitam tollunt; vel *corporis afflictivæ* in specie sic dictæ.

17. Porro Pœnæ aliæ sunt *Leviores*, uti civiles omnes, ex quibus tamen aliæ etiam aliis mitiores esse possunt: aliæ vero *Graviores* sive *Atrociores*, uti capitales & corporis afflictivæ.

18. Dividuntur quoque Pœnæ in *Ecclesiasticas*, quæ, ob scandalum Ecclesiæ datum, a Judice Ecclesiastico sive Consisto-

ſiſtorio imponuntur, & *Seculares*, quæ a Judice Seculari, ob læſionem Reip. infliguntur.

19. Sunt & aliæ Pœnæ omnibus hominibus *communes*, aliæ vero certo perſonarum ordini *propriæ*: ut Pænæ *Clericales*, *Aulicæ*, *Militares*.

20. Denique omnes hæ *pœnæ* vel *ordinariæ* ſunt, quæ legibus expreſſe ſunt determinatæ: vel *arbitrariæ*, quæ arbitrio judicis determinantur.

TIT. V.

DE IMPUTATIONE DELICTI IN POENAM.

I.

Pœna locum habere nequit, niſi Delictum ſit perpetratum, quod alicui in pænam imputari poſſit.

2. Non poteſt autem Delictum in pœnam imputari, niſi Auctori ſuo: ſiquidem *imputare* delictum, eſt aliquem auctorem delicti dicere, eidemque effectum illius tribuere.

2. *Au-*

3. *Auctor* delicti dicitur, causa delicti efficiens, a cujus voluntate & facto istud profectum est.

4. Sed ante omnia dispiciendum, utrum quis *dolo*, i. e. ex intentione & proæresi mala, an vero *culpa*, i. e. per imprudentiam, perperam egerit.

5. Utroque quidem casu delictum ita perpetratum in pœnam imputatur delinquenti: sed in *graviorem* tamen ei, qui dolo, in *leviorem* vero, qui culpa deliquit.

6. Requiritur ergo, ut quis *doli*, vel *culpæ* sit capax, si quis Auctor delicti censeri, delictumque ei in pœnam imputari, debeat.

7. Cum autem doli vel culpæ capax esse nequeat, qui vel non intelligit, quid agat, vel non gaudet facultate eligendi ac arbitrandi, quid aut quomodo agere, velit: patet, nec delicti reum, nec pœnæ obnoxium censendum esse, qui vel intellectus integritate sive rationis usu, vel libero voluntatis arbitrio, destituitur.

8. Hinc *Infantes*, *Amentes*, *Furiosi*, & pro renata *summe Ebrii*, itemque *Dormientes*, uti, ob deficientem, vel cessantem rationis usum, proprie non delinquunt, ita nec pœnæ regulariter subjacent.

9. *Impuberes vero*, præsertim *pubertati proximi*, *stupidi* seu *fatui*, *ignorantes*, vel *errantes*, itemque *modice ebrii*, aut *affectu turbati*, uti rationis usu & voluntatis arbitrio, non semper prorsus carent, ita regulariter nec a pœna prorsus sunt immunes: quamvis excusatius, ob concurrentem intellectus imbecillitatem, aut labefactatam voluntatis libertatem, plerumque peccent.

10. Ceterum nec delicta ab *invitis*, per *vim*, aut *casum fortuitum*, admissa, eo quod vera delicta non sint, in pœnam imputari possunt.

11. Delicta *omissionis* autem tum demum imputantur, ubi quis ad factum omissum speciatim obligatus, neque occasione ac viribus agendi destitutus fuit.

12. Po-

12. Poteſt autem alicui in pœnam imputari non ſolum delictum *proprium*, quod quis ipſe *immediate* patravit, ſed etiam *alienum*, ad quod quis *mediate* committendo quid, vel omittendo, concurrit.

13. Sed circa concurſum ad delictum alienum probe ſecernendi ſunt actus, quibus quis, tanquam *complex*, *realis operæ* aliquid ad iſtud contulit, ab illis, qui in nuda *ſcientia* aut *voluntatis approbatione* ſubſiſtunt.

14. *Prioris* generis actus iterum diverſi ſunt, prout quis vel antecedenter, *conſilio*, *mandato*, *juſſu*, aliquando & *permiſſu*, ut delictum ſuſciperetur, effecit.

15. Vel etiam, *auxilium*, proximum aut remotum, ſive ante delictum, ſive in ipſo actu, præſtitit.

16. Vel denique ex *poſt facto* receptum patratoribus præbendo, fugam promovendo, aliamve operam præſtando, concurrit.

17. Atque tales actus utique puniuntur, ſed diverſimode, prout plus minusve ad delicti perpetrationem conferunt.

18. Intereſt quoque, utrum quia ut cauſa *principalis*, an vero ut cauſa *minus principalis*, an denique ut cauſa *ſocia*: utrum prævia *conſpiratione*, an vero *citra* conſpirationem, ad delictum concurrerit.

19. Siquidem his caſibus delictum quidem omnibus in pœnam imputatur, ſed itidem diverſimode, ita ut pro diverſitate influxus, modo gravior, modo levior, modo æqualis pœna locum habeat.

20. Alia eſt ratio actuum *poſterioris* generis, ubi quis delicti perpetrationem tantum *optat*, *videt*, *ſcit*, *reticet*, *excuſat*, *approbat*, *laudat*: quippe quales in foro humano rarius puniuntur.

21. Sicuti autem *plures* ad idem delictum, ut *ſinguli*, concurrere poſſunt, adeoque pro ratione concurſus pœnam merentur: ita & tota *Univerſitas* delinquere poteſt.

22. Sed ut *Univerſitati*, qua tali, delictum in pœnam imputari poſſit, *unanimis* omnium & ſingulorum requiritur

con-

consensus: isque vel ab initio, *communicato consilio*, in delictum conspirans, vel *ratihabitione* istud probans.

23. *Consensus* vero *majoris partis* haud sufficit: quippe quo casu singuli duntaxat de suis factis tenentur.

TIT. VI.

DE IRROGATIONE POENAE.

I.

Quando de delicti perpetrati & veritate, & auctore, ex sufficientibus indiciis & probationibus constat: proximum est, ut de pœna promerita, Auctori delicti irroganda, dispiciatur.

2. Modo Pœna adhuc locum habeat, neque extincto delicto, cesset: quod variis modis fieri potest.

3. Nimirum 1) *Præscriptione* temporis, modo longioris, modo brevioris, lege definiti; 2) *Pœnæ redditione;* 3) *Absolutione* rei; 4) *Morte* rei.

4. Quod si Pœna adhuc locum habeat, præcipua Judicis cura erit, *pœnam*, ex præscripto legum, atque indole delicti, recte *determinare*.

5. Quocirca primo videndum, an *certa* pœna, & quænam, in delictum, quale præsens est, legibus sit statuta.

6. Deinde natura delicti curate inspicienda, ejusque qualitas & quantitas ex circumstantiis recte metienda.

7. Denique ex his, probe subductis rationibus, *Pœna*, præsenti delicto conveniens, legaliter ac prudenter *definienda* est.

8. Quod si *Pœna certa* lege definita est, hæc ipsa ceu *ordinaria*, regulariter irroganda, nisi justa causa aliud suadeat aut exigat.

9. Ab *ordinaria* pœna receditur, dum ea, arbitrio judicantis, vel *mitigatur*, vel *exasperatur*, atque adeo *arbitraria* pœna injungitur.

10. *Justa* vero *causa* ab ordinaria pœna recedendi ex qualitate & quantitate delicti, utraque vicissim ex circumstantiis, colligenda. 11.

11. Ceterum regula tenenda; quoties *veri perfectique delicti* definitio & requisita in factum quadrant, toties pœnæ ordinariæ; quoties vero hæc cessant, arbitrariæ locus est.

12. Quod si pœna certa lege non determinata est, eadem *arbitrio* quidem Judicantis itidem, sed analogiæ juris, & circumstantiis facti, attemperato, determinanda erit.

13. De pœna denique *Universitatis* tenendum, vel talem irrogari posse, quæ totam universitatem, qua talem afficiat, vel singulos puniri posse.

14. Posteriori tamen casu, antesignanos & seductores, vel rectores, plerumque gravius puniri par est, quam seductos & ceteris obsequentes.

15. Nonnunquam & *Decimatio* adhibetur: quæ tamen aliis iniquitate vix carere videtur.

4. Quod si Pœna adhuc locum habeat, præcipua Judicis cura erit, *pœnam*, ex præscripto legum, atque indole delicti, recte *determinare*.

5. Quocirca primo videndum, an *certa* pœna, & quænam, in delictum, quale præsens est, legibus sit statuta.

6. Deinde natura delicti curate inspicienda, ejusque qualitas & quantitas ex circumstantiis recte metienda.

7. Denique ex his, probe subductis rationibus, *Pœna*, præsenti delicto conveniens, legaliter ac prudenter *definienda* est.

8. Quod si *Pœna certa* lege definita est, hæc ipsa ceu *ordinaria*, regulariter irroganda, nisi justa causa aliud suadeat aut exigat.

9. Ab *ordinaria* pœna receditur, dum ea, arbitrio judicantis, vel *mitigatur*, vel *exasperatur*, atque adeo *arbitraria* pœna injungitur.

10. *Justa* vero *causa* ab ordinaria pœna recedendi ex qualitate & quantitate delicti, utraque vicissim ex circumstantiis, colligenda.

11.

11. Ceterum regula tenenda; quoties *veri perfectique delicti* definitio & requiſita in factum quadrant, toties pœnæ ordinariæ; quoties vero hæc ceſſant, arbitrariæ locus eſt.

12. Quod ſi pœna certa lege non determinata eſt, eadem *arbitrio* quidem Judicantis itidem, ſed analogiæ juris, & circumſtantiis facti, attemperato, determinanda erit.

13. De pœna denique *Univerſitatis* tenendum, vel talem irrogari poſſe, quæ totam univerſitatem, qua talem afficiat, vel ſingulos puniri poſſe.

14. Poſteriori tamen caſu, anteſignanos & ſeductores, vel rectores, plerumque gravius puniri par eſt, quam ſeductos & ceteris obſequentes.

15. Nonnunquam & *Decimatio* adhibetur: quæ tamen aliis iniquitate vix carere videtur.

TIT. VII.

DE MITIGATIONE POENAE.

1.

FUndamenta mitigandæ pœnæ partim ex natura delicti, partim ex doctrina de Imputatione, petenda sunt.

2. Hinc duæ regulæ generales: 1) Quo minus veri perfectique delicti definitio & requisita in factum admissum quadrant, eo mitiorem illud merebitur pœnam: 2) Quo minus delictum alicui, ceu Auctori, potest imputari, eo mitiori is afficiendus erit pœna.

3. Mitigatur ergo pœna maxime, 1) ob *imperfectionem* delicti, eamque vel ratione intentionis; vel ratione executionis, spectatam.

4. Ratione *intentionis* imperfectum haud dubie censendum delictum, quod non dolo, sed *culpa*, patratum est: atque adeo mitius regulariter & arbitrarie coercendum.

5.

5. Quodsi *dolo* quidem, sed *imperfectiori*, ob perfectæ *proæreseos defectum*, istud sit patratum, modo ordinarie, modo extra ordinem, punietur, prout plus minusve proæreseos continet.

6. Hinc cum & *ignorantia juris* aut *facti*, delictum, ratione proæreseos imperfectum, reddat, eadem quoque causa mitigandæ pœnæ erit: modo non fuerit *vincibilis*, nec delinquens ipse ejus causa extiterit.

7. Quo magis tamen ea *vincibilis*, ac delinquens ipse ejus *causa* fuerit, eo minus a pœna excusabit: quamvis ab ordinaria plerumque excuset, quod culpa magis, quam dolo, peccasse videatur, qui ex ignorantia peccavit.

8. Imperfectiora quoque ratione proæreseos, censenda, adeoque mitius punienda, delicta eorum, qui vel intellectus imbecillitate laborant, vel libero voluntatis arbitrio privati sunt: veluti, *impuberes*, & pro re nata *senes*, itemque *fatui* ac *stupidi*, *ebrii*, *affectibus* turbati, præsertim summe *irati*, iique *justo dolo-*

re

re exacerbati, itemque gravi *metu* perterriti.

9. *Ira* vero solita, *timor* panicus, *tristitia*, *amor*, *misericordia*, a pœna ordinaria non facile excusant.

10. Ratione *executionis* porro imperfectum est delictum nondum *consummatum*, sed in solo *conatu* subsistens, quod *attentatum* vocatur: unde pro re nata, vel ab *omni*, vel saltem ab *ordinaria* pœna est immune.

11. In *levioribus* delictis *Conatus* interdum *impunis* manet: interdum *coercetur* arbitrarie, præsertim is, cujus impunitas Reip. ob exemplum, aut privatis, est nocitura.

12. In delictis vero *gravioribus* conatus regulariter extra ordinem, quandoque & irregulariter *ordinarie* punitur.

13. In determinanda autem pœna delicti attentati perpendendum, 1) quam remotus a consummatione conatus fuerit: an in actu *remotiori* substiterit, an vero ad actum *proximum* pervenerit; num consummatio per *pœnitentiam*, an vero per *accidens*, impedita fuerit. 14.

14. Mitigari quoque ſolet pœna II) ob *diuturnitatem carceris*, a reo ſine ſua culpa tollerati.

15. Denique III) ob *incertitudinem corporis delicti*.

16. Mitigationi affinis eſt *Commutatio pœnæ*, in aliud ſcilicet pœnæ genus; quæ tamen regulariter non, niſi lege concedente, judici permiſſa eſt.

17. A mitigatione vero differt *Aggratiatio*, quæ eſt ſpecies diſpenſationis, qua Princeps, ex mera gratia, pœnam vel mitigat, vel plane remittit. Sed hæc non niſi circa pœnas, jure humano ſtatutas, locum habet.

TIT. VIII.

DE EXASPERATIONE ET CUMULATIONE POENARUM.

I.

Exaſperatur Pœna, vel ob majorem delinquentis malitiam, vel ob majorem Reip. aut membri ejus, læſionem.

2. Eo

2. Eo major autem delinquentis *malitia* censenda, quo sæpius delictum iteratum, quo diutius præmeditatum, quo majori cum calliditate aut crudelitate, executioni mandatum, quo perfectior denique juris factique notitia, aut voluntatis libertas, in delinquente fuerit.

3. Sed & eo gravius delictum censendum, quo levior causa ad delinquendum impulit, quove prægnatior causa delinquentem, vel intuitu suæ, vel alterius personæ, vel etiam ratione temporis, aut loci, a delinquendo absterrere debuit.

4. Eo gravius porro delictum reputandum, quo *majus malum* singulis, aut universis, per illud est illatum.

5. Eo majus vero malum illatum, quo majori cum vi, ex parte lædentis, aut quo majori cum dolore, vel damno, ex parte læsi, istud est conjunctum.

6. Quo præstantius quoque bonum est, quod læditur, quo difficilius reparabile, & quo plura mala inferuntur, eo gravius erit delictum, quo læsio infertur.

7. De-

7. Denique quo plura vitia circa idem factum concurrunt, eo fœdius istud est. Et quo plura delicta cumulantur, eo magis quoque pœna cumulatur.

8. Concurrentibus ergo pluribus delictis, regula quidem vult *singula singulis coercenda* esse *pœnis*: modo sint compatibiles.

9. Sed usu fori fere obtinent exceptiones: 1) quod *pœna major absorbeat minorem*; 2) ex *æqualibus* etiam *pœnis* non nisi *una* infligatur pro omnibus delictis, plerumque tamen *augmento* quodam *exasperata*.

LIB.

LIB. II.

DE DELICTIS EORUMQUE POENIS SIGILLATIM.

TIT. I.

DE HOMICIDIIS.

I.

Inter Delicta, *singulis* nocentia, primo loco considerari merentur, quæ *vitam homini auferunt*: qualia generali HOMICIDII nomine veniunt.

2. Dividitur HOMICIDIUM in *DOLOSUM*, *CULPOSUM*, *CASUALE*, & *NECESSARIUM*.

3. *HOMICIDIUM DOLOSUM* est crimen, quo quis *dolo*, i. e. *animo occidendi*, vel saltem *nocendi*, adhibito *instrumento lethifero*, mortem alicui infert: sive id ex proæresi, sive ex impetu, veluti calore iracundiæ, fiat.

§. 5. j. Jud. publ. L. 1. C. eod.

4. At-

4. Atque hoc iterum vel *Simplex* eſt, quod nomen generis retinet: vel *Qualificatum*, quod per certas circumſtantias aggravatur; cujus ſpecies ſunt, *PARRICIDIUM*, *VENEFICIUM*, *ASSASINIUM*, & *LATROCINIUM*.

5. Pœna *Homicidii Doloſi* ordinaria, jure divino & humano, eſt *ultimum ſupplicium*, & *Simplicis* quidem, *gladius*.

§. 5. *j. de Publ.* Ord. Crim. *a.* 178.

6. Modo iſtud fuerit *conſummatum*, & mors per ſe inde ſequuta: quod inſpectione cadaveris, eaque judiciali, accedente Medicorum judicio, exploratur.

O. C. art. 147. 149.

7. *Attentatum* jure ROM. quidem etiam pœna ordinaria, *a)* jure GERM. vero mitiori & arbitraria *b)* coercetur.

a) L. 7. *π. ad L. Corn. de Sicar.*

b) O. C. a. 148. 178. *P. IV. C. EL. Sax.* 3. 7.

8. Si homicidium a *pluribus*, ex *conſpiratione*, fuerit perpetratum, omnes indiſtincte capite plectuntur.

9. Si

9. Si autem *subito*, veluti in rixa, concurrentibus pluribus, cædes fuerit facta, atque de occisore liquido constet, nec ullus præ ceteris oneratus sit, hic solus eam capite luet.

10. Si de hoc nullatenus constet, nec ullus præ ceteris oneratus sit, omnes, qui rixæ interfuerunt, extra ordinem punientur.

11. Quodsi omnes occisum vulneraverint, atque vulnera omnia fuerint lethifera, omnes gladio punientur: nisi de vulneris autore constet.

12. Si denique vulnera singula non fuerint lethalia, sed simul sumta, omnes extra ordinem punientur.

TIT. II.

DE HOMICIDIO CULPOSO CASUALI ET NECESSARIO.

I.

HOmicidium *CULPOSUM* dicitur, quod citra *animum occidendi* aut *lædendi* aliquem, per *imprudentiam*, vel *negligentiam*, admissum est. 2.

2. Hoc arbitrarie, pœna civili, vel criminali, pro gradu culpæ, coërcetur.

3. Homicidium *CASUALE* seu *Fortuitum* est, quod nec dolo, nec culpa, sed *casu* inopinato interveniente, sequutum est. Hoc plane non punitur: modo in actu licito versanti acciderit, nec culpa accesserit.

4. Homicidium *NECESSARIUM* est, quod ob *necessariam* vitæ vel corporis, sive boni irreparabilis, *defensionem*, admittendum fuit.

5. Hoc itidem a pœna omni est immune: modo *moderamen inculpatæ tutelæ* per omnia observatum sit.

6. Ad hoc autem requiritur, 1) injusta offensio, 2) talis, ex qua vitæ, aut boni irreparabilis amittendi, periculum imminebat, eaque 3) in continenti, & cum 4) per fugam, aut alia ratione, tuto evitari non posset, repulsa.

7. Quodsi moderamen, per imprudentiam, invasus excesserit, aut in actu illicito versatus fuerit, extra ordinem punitur.

8. Sin dolose defensionis limites, cessante scilicet periculo, vindictæ cupiditate, invasorem occidendo excesserit, pœnam ordinariam vix effugiet.

TIT III.

DE AUCTOCHIRIA ET PARRICIDIO.

I.

AUCTOCHIRIA sive PROPRICIDIUM, est homicidium, quo quis *sibi ipsi* vitam eripit.

2. Hoc, si *dolo* fiat, punitur infami memoria, & sepultura canina: imo, si *metu pœnæ* fiat, etiam confiscatione bonorum. *O. Cr. a.* 135.

3. Secus, si ex furore, aut melancholia.

4. *PARRICIDIUM* est homicidium, in personam, *sanguine*, vel *affinitate conjunctam*, commissum.

§. 6. j. de Publ. jud.

5. Estque vel *Proprium*, inter adscendentes scilicet, & descendentes, aut conjuges: vel *Improprium*, inter collaterales, consanguineos, vel affines ad quartum usque gradum, perpetratum. §.

§. 6 *J. de Publ. jud.*

6. *Proprium* jure ROM. & SAX. punitur *culleo*, olim coreaceo, hodie linteo, cum inclusis quatuor bestiis, vivis, vel pictis, aut sine his *aqua submerso*, prout moribus cujusque loci receptum est: vel, si aqua deficiat, *rota*.

§. 6. *J. de Publ. jud. L.* 9. *π. ad L. Pomp. de Parric. C. Cr. a.* 131. 137. *P. IV. C. El. Sax.* 3.

7. Inter *affines* tamen in linea recta, vel *conjuges*, commissum jure CAROL. punitur *gladio*, plerumque cum exasperatione: *a*) eadem est pœna *improprii*, etiam jure SAX. EL. *b*)

a) *O. C. a.* 137. *b*) *P. IV. C. El.* 3. §. *f.*

8. *Proprii* species est *INFANTICIDIUM*, quod committitur a parentibus, liberos, præsertim recens natos, occidentibus, atque adeo eadem ratione punitur.

9. Huic affinis est *ABORTUS PROCURATIO*, quæ si partus nondum animatus sit, *fustigatione* & *relegatione*, sin animatus, *gladio* punitur.

c. 5. & 30. *fin. X. de homicid. O. C. a.* 133. *P. VI. C. El.* 4.

10. Itemque *EXPOSITIO INFANTIS*, cujus pœna variat: Si nimirum infans in loco diſſito exponatur, ea mente, ut pereat, tunc ſi moriatur; pœna *cullei*; ſin incolumis ſervetur, *fuſtigatio* obtinet.

11. Quodſi vero in loco obvio & publico exponitur, tunc, ſi moriatur, *fuſtigatio*: ſin incolumis reperiatur, *relegationis* aut *carceris* pœna irrogatur.

10. II. v. *O. Cr. a.* 132. *P. IV. C. El. Sax.* 3. Deciſ. Sax. 78.

TIT. IV.

DE VENEFICIO, ASSASSINIO ET LATROCINIO.

I.

VENEFICIUM eſt homicidium, *veneno malo* necandi, vel nocendi cauſa, dato, commiſſum.

L. 3. *π. ad L. Corn. de Sicar. & Venef.*

2. Pœ-

2. Pœna ejus Jure ROM. indiſtincte eſt *gladius*: * hodie vero, non niſi nece ſequuta conſummatum, morte punitur.

* *§. 5. J. de Publ. Jud.*

3. Et quidem Jure IMP. in maſculis *rota*, in fœminis *ſuffocatione a)* jure SAX. indiſtincte *rota*: modo venenum, animo occidendi datum, per ſe & immediate cauſam morti præbuerit. *b)*

a) O. Cr. a. 130. *b) O. Cr. a.* 178.

4. Quæ pœna, pro re nata, modo mitigatur, & in pœnam gladii convertitur: modo additamento, forcipum, candentium, vel trahæ, exaſperatur.

5. Datur quoque *Veneficium animalium*, itemque *Paſcuorum*, de quo Tit. VI.

6. Affinis eſt *Philtri propinatio*, quæ, ſi ad conciliandum amorem licitum ſit facta, *relegatione*; ſi ad libidinem, *fuſtigatione*: morte licet utroque caſu ſequuta.

7. *ASSASSINIUM* eſt homicidium, ab eo, qui *mercede* ab hoc *conductus* eſt, commiſſum.

8. Hic, *Assassinator*, seu conductor, *capite* punitur, & cadaver *rotæ* imponitur: *a*) *Assassinus* vero, seu locator operæ, tamquam latro, supplicio *rotæ* afficitur. *b*)

a) *O. Cr. a.* 157. *b*) *O. Cr. a.* 130. *C. El. P. IV.* 5.

9. *LATROCINIUM* est homicidium, *spolii* & *lucri* causa perpetratum.

10. Ejus pœna hodie est *rota*, nonnunquam ustione pro re nata, augenda: modo sit consummatum; *a*) Si tantum attentatum, pro ratione circumstantiam, modo *gladio*, modo arbitrarie punitur. *b*)

a) *O. Cr. a.* 130. 137. §. 1. *P. IV. C. El. Sax.* 5. 35.

b) *O. C. a.* 126. 127.

TIT.

TIT. V.

DE VIOLATIONE CORPORIS, ET EXISTIMATIONIS, SIVE INIURIIS.

I.

Violari quoque potest *persona* alicujus, salva vita, vel ratione *corporis*, vel ratione *existimationis*: unde novæ delictorum species.

2. *Violatio* scil. *Corporis* hoc loco est delictum, quo, salva vita, corpori alicujus hominis malum quodcunque infertur.

3. Fitque vel per *vulnerationem*, aut *mutilationem*, vel per solam *doloris* aut *molestiæ* illationem: utraque sæpe cum impedimento ac detrimento *operarum* est conjuncta.

4. Vindicatur cum pœna privata, læso danda, quæ jure SAX. dicitur *Emenda*, *die Sachsen-Busse* & pretium doloris & operarum compensationem, comprehendens: tum publica, Judici luenda, quæ est arbitraria.

P. IV. C. El. 42.

5. Pertinet huc ſpeciatim *Incarceratio injuſta*, quippe qua quis ratione corporis inprimis moleſtia afficitur: cujus pœna jure SAX. 30. ſolidis, ſive 2. ſexagenis, per dies ſingulos læſo ſolvendis, definitur.

6. Eadem corporis violatio interdum fit ſine, interdum vero cum exiſtimationis læſione: Priori cauſa *Damni* injuria *dati*: poſteriori, *Injuriæ* in ſpecie ſic dictæ ſpecies eſt.

7. Scilicet Violatio Exiſtimationis dicitur *INJURIA*, eſtque delictum, dolo, in *contumeliam* alterius, verbis, vel factis, admiſſum.

L. 1. *&* 3. *§.* 1. *π. de injur.*

8. *Contumeliam* vel in contentu conſiſtit, quo quis pro vili & abjecto: vel in *ignominia*, quis pro malo & turpi homine habetur.

9. Requiritur autem ad injuriam *dolus*, i. e. animus injuriandi. qui tamen non præſumitur; niſi verba vel facta per ſe injurioſa ſint, aut circumſtantiæ aliud ſuadeant.

10.

10. Inferunt ergo injuriam, qui *doli* ſunt capaces: ſive *immediate* per ſe ipſos, ſive *mediate* per alios. §. 11. *j. b.*

11. Patiuntur injuriam, qui non conſentiunt, ſed ad animum eam ſtatim revocant. §. 12. *j. b. t.*

12. Patiuntur autem itidem vel *immediate*, per ſe ipſos: vel *mediate*, per alios, poteſtati ipſorum ſubjectos, veluti *uxorem*, & quæ ei æquiparatur, *ſponſam*, itemque *liberos*, & *ſervos*. §. 2. *j. b. t.*

13. Dividitur injuria, 1) ratione modi, in *Verbalem* & *Realem*.

14. *Verbalis* eſt, quæ maledictis, aut conviciis, infertur: atque in *dictam* & *ſcriptam* rurſus dividitur.

15. *Realis* eſt, quæ re, & factis, in alterius contumeliam vergentibus, infertur: idque vel *in corpus*, ut pulſatione, verberatione, vulneratione, mutilatione; vel *extra corpus*, uti, geſtibus, minis, picturis, violento domus ingreſſu, poſſeſſione bonorum alterius, veluti debitoris noſtri. *pr. j. b. t.*

16. Di-

16. Dividitur 2) ratione gradus, in *levem* & *atrocem*; qualis æſtimatur ex circumſtantiis, præſertim, facto, perſona, loco, tempore, modo, effectu, dolorum quoque, & cicatricum ratione habita.

17. *Remedia*, quibus injuriæ coërcentur, partim ad *privatum*, partim ad *publicam* ſatisfactionem ſpectant, ſingulaque aliquid *pœnale* continere videntur.

18. Non vero apud ROMANOS decernebantur, niſi prævia *actione*, a læſo inſtituta, qua ſatisfactio talis privata, vel publica, petebatur, injuriam inferenti per ſententiam judicis imponenda.

19. Quod inſtitutum hodieque in pleriſque GERMANIAE provinciis ſervatur: quamvis nonnullis in locis, veluti SAX. ELECTORALI, loco actionis, *denunciatio*, ſufficiat.

20. Vindicantur autem jure ROM. generatim qualeſcunque injuriæ *actione* injuriarum *prætoria*, eaque vel *civili*, ſive *æſtimatoria* vel *criminali*.

21. *Æstimatoria* dicitur, quando injuriam passus eam certa pecuniæ summa in libello æstimat, quam sibi applicari petit. §. 7. *h. t.* Quæ tamen non, nisi prævia judicis moderatione, adjudicatur.

22. *Criminalis* est, qua injuriam passus petit, ut vel pœna corporalis, vel mulcta fisco, vel ecclesiæ, inferenda, reo irrogetur. §. 10. *h. t.*

23. In specie autem certis de injuriis realibus agitur ex *L. Cornelia*, itidem vel *civiliter*, vel *criminaliter*, uti ex jure prætorio. §. 8. *h. t.*

24. Moribus accessit Actio ad *Palinodiam*, sive *Recantatoria*, quæ datur ad injurias verbales, a reo, non sine ignominia, in judicio revocandas.

25. Quæ, cum recantatione id, quod famæ, opinione hominum, detractum erat, veluti restituatur, *rei persequutoria* videtur: licet, quatenus cum ignominia & infamia est conjuncta, aliquid etiam pœnale contineat.

26. Re-

26. Recepta quoque moribus IMP. & SAX. fuit *Retorsio*, sive *Recriminatio*, *abgedrungene Ehren-Rettung*, quæ est injuriæ verbalis illatæ in infrentem in continenti facta, rejectio.

27. Ad hodie in SAX. ELECT. abrogatis solemnibus injuriam actionibus, ac retorsionibus, *Judex*, prævia injuriæ denunciatione, *ex officio* adversus reum, interdum quoque, pro atrocitate injuriæ, inquisitorie procedit.

28. Pœnæ loco, si injuriæ sint *leviores*, *deprecatio judicialis*, cum vel sine *honores declaratione*, & insuper pœna *carceris*, vel *mulctæ*, arbitrio judicis, imponitur.

29. Si injuriæ *verbales* quidem, sed *atrociores* sint, vel *deprecatio* cum *genuflexione*, vel *recantatio*, cum graviori *carceris*, aut *mulctæ*, imo & *relegationis*, vel etiam *fustigationis*, pœna, pro re nata, injungitur.

30. Denique injuriæ *reales*, si *atrociores* sint, diuturniori *carcere*, interdum cum *catena*, *relegatione*, *manus amputatione*,

tione, vel condemnatione ad *opus publicum*, rarius *gladio*, puniuntur.

31. Quales pœnæ Mandato REGIO-ELECT. SAX. noviſſ. pro diverſitate injuriarum, perſonarum imprimis ratione habita, ſpecialius determinantur.

32. Peculiaris injuriæ ſpecies eſt *FAMOSUS LIBELLUS*, ſive *PASQUILLUS*. quo alicui, in ſcriptis, *certum* & *famoſum crimen*, occultato auctoris nomine, objicitur, & divulgatur.

33. Pœna ejuſdem jure IMP. & SAX. eſt *talionis*, i. e. eadem, quam meretur delictum imputatum: *a*) Hodie fere arbitraria, ad fuſtigationem uſque.

a) v. *O. Cr.* 110. *P. IV. C. El.* 44.

34. Mitius quoque punitur, qui veritatem objecti criminis probat. Sed & inventor ejus, & propalator, arbitrarie tantum punitur.

35. Ceterum tollitur quidem vindicandæ injuriæ facultas 1) *morte* alterutrius, 2) *remiſſione* injurati, 3) *tranſactione*, & 4) *præſcriptione*: ſed tantum quoad ſatisfactionem privatam, non publicam.

TIT.

TIT. VI.

DE DAMNO INJURIA DATO, VENEFICIO INCENDIO ET TERMINI MOTIONE.

I.

Sequuntur Delicta, quibus damnum alteri, intuitu *bonorum* suorum, infertur.

2. Qualia sunt: *DAMNUM* injuria *DATUM*, *VENEFICIUM ANIMALIUM* & *PASCUORUM*, *INCENDIUM*, *TERMINI MOTIO*. *FURTUM*, *RAPINA*, *VIS PRIVATA*, *CONCUSSIO*, *USURARIA PRAVITAS*, *LUDUS ILLICITUS FALSUM*, aliaque his affinia.

3. *DAMNUM* injuria *DATUM* est delictum, quo *res aliena* dolo vel culpa alicujus *corrumpitur* aut *perimitur*.

4. Hoc delictum, quatenus generale nomen retinet, jure ROM. ex *L. Aquila*, ita coërcebatur, ut læso tantum pro damno illato satisfieret.

5. Hodie haud dubie insuper pœna arbitraria, eaque vel leviori, vel graviori,

viori, prout vel levius, vel gravius, dolo vel culpa, illatum eſt, coerceri poterit.

6. *VENEFICIUM ANIMALIUM*, ſi damnum inde ſequutum ſit, *gladio*: *PASCUORUM* vero ſi damnum inde ſequutum, *igne*, alias *fuſtigatione* punitur.

7. *INCENDIUM*, idque *doloſum*, ædium, vel ſaltem materiæ iis appoſitæ, accenſione, conſummatum, regulariter *igne* attentatum vero, materiæ ſcilicet inflammabilis appoſitione, *fuſtigatione* punitur.

8. *Culpa lata* admiſſum, præter reſtitutionem damni, extra ordinem, vel carcere, pœna pecuniaria, vel relegatione, vel fuſtigatione, coercetur.

L. 3. §. 1. *de Off. Præf. vigil.*

9. *Culpa* vero *levi* aut *leviſſima* commiſſum, præter reſtitutionem damni, pœnam vix meretur.

L. 9 §. 11. *de incend. ruin. naufr. l.* 28. §. 12. *de pœn.*

10. *TERMINI MOTIO*, qua quis *ſigna finium* doloſe amovet vel tranſponit, ſi

toti

toti provinciæ damnum inferat, capite: *a)* si privatis tantum, arbitrarie punitur. *b)*

a) L. pen. de extrord. crim. L. 1. *C. de Nili aggere non rumpend. b) L.* 2. *de term. mot. O. Cr. a.* 114.

TIT VII.

DE FURTIS.

I.

FVRTUM est *contrectatio fraudulenta rei alienæ, invito domino, lucrifaciendi causa*, facta.

§. 1. *j. de Oblig. quæ ex delict.*

2. Vindicatur Furtum, jure ROM. tanquam delictum privatum, vel *civiliter*, vel *criminaliter*.

3. *Civiliter* actionibus vel *rei persecutoriis*. ad rem ablatam, aut ejus æstimationem, consequendam; vel *pænalibus*, ad pœnam privatam, dupli, vel quadrupli, actori applicanda, tendentibus.

§. *fin. j. d. t.*

4. *Criminaliter* ad pœnam publicam, furi irrogandam. *l. fin. π. de furt.* 5.

5. Hodie, JURE GERM. quo furtum pro delicto publico habetur, Judex ex officio adversus furti reum procedit, ad pœnam publicam ei infligendam: ut tamen rei persecutio dominis non sit ademta.

6. Pœna variat, pro varietate furti: hinc variæ furti divisiones considerandæ.

7. Nimirum dividitur furtum 1) in *manifestum*, in quo fur cum re furtiva deprehensus est, antequam ad eum locum, in quo ea die permanere destinaverat, pervenit; & *nec manifestum*, in quo ita non deprehensus est: quæ divisio tamen in foro SAX. vix attenditur.

V. §. 3. *J. d. t. C. Cr. art.* 158.

8. Dividitur 2) in *simplex* sive vulgare, & *qualificatum* sive improbum, quod scilicet cum effractione, vel conscensione, commissum est.

9. *Simplex* iterum est vel *parvum*, vel *magnum*: Hoc dicitur, cujus quantum jure IMP. 5. *solidis* aureis, sive ducatis, jure SAX. ELECT. noviss. 12. *thal.* & 12. *groß.* in foris SAX. DUCAL. vero 10. *soli-*

 dis,

dis, vel pluris, æstimatur; *illud*, quod eam summam non attingit.

C. *Cr. a.* 158. *P. IV. C. El.* 32. *Mand. R. El. Sax.* de Pœn. Latron. & Fur. d. A. 1719. V. *wir wolen auch nicht weniger die gemeinen*, *&c.*

10. Furtum *simplex*, idque *parvum*, *nec manifestum*, jure IMP. pœna *dupli*; aut, si hoc præstare nequeat fur, *carcere* arbitrario coercetur. C. *Cr. a.* 157.

11. Sed si fur in tali furto deprehensus fuerit, pro *numellis* expositus *virgis* cædi ac *relegari*, si autem honestioris conditionis sit, *quadruplo* mulctari, vel *carcere* coerceri debet. *ib. art.* 158.

12. In SAX. EL. furtum *simplex*, sive manifestum fuerit, sive nec manifestum, si istud dimidiam summæ prædictæ non attingat, carcere, aut mulcta, si autem eam excedat, fustigatione & relegatione punitur.

P. IV. C. El. 32. §. *Ferner.*

13. Furtum *magnum*, jure IMP. nonnisi circumstantiis quibusdam aggravatum, *suspendio*, secus, corporaliter punitur,

tur. *a*) At jure SAX. COMMUNI & ELE. CT. indiſtincte: niſi circumſtantiæ delictum minuentes, mitiorem pœnam ſuadeant. *b*)

a) *C. Cr. a.* 160. *b*) *Landr. L. II. art.* 13. *P. IV. El.* 32. *§. wann einer §. und ſoll.*

14. Si *plures* furtum fecerint, pœna ſuſpendii locum non habet, niſi, facta diviſione æquali quanti ablati, rite æſtimati, rata cujuſque ſummam lege definitam exæquaverit.

15. Jure IMP. quoque non vero SAX. furtum *reiteratum*, idque *ſecundum*, ſed *parvum*, *numellis* ac *relegatione*, vel *confinatione*; *tertium* vero, in maſculis *laqueo*, in fœminis *ſuffocatione*, punitur.

Cr. Cr. art. 161. 162.

16. Furtum *qualificatum*, cum effractione, eaque violenta & ſeditioſa, perpetratum, jure IMP. ordinarie in maribus *ſuſpendio*, in fœminis *ſuffocatione*, *a*) jure SAX. citra diſcrimen ſexus, *ſuſpendio* punitur. *b*)

a) *C. Cr. a.* 159. *b*) *Landr. l. c. d. C. El.* 32. *P. IV.*

17. Quodsi vero furtum sine violentia ac seditiosa effractione, licet clave adulterina adhibita, sit admissum, *fustigatione*, aut alia arbitraria pœna coercetur: nisi furtum sit magnum.

18. Cæterum *æstimatio* rei furtivæ, si extet, judicialiter ab arte peritis, si non extet, ab eo, cui ablata est, utraque jurata, fieri debet.

19. Hic si jurare nolit, vel non possit loco pœnæ capitalis, *fustigatio* locum habet.

20. Fit autem contrectatio rei alienæ in furto ita, ut vel ipsa auferatur, vel saltem ejus *usus*, aut *possessio*, invito domino contrectetur.

21. Hinc *furtum usus* dicitur, ubi, vel creditor pignore, vel depositarius deposito, dolo malo utitur, vel commodatarius re commodata aliter, ac concessum, utitur.

§. 6. j. de Oblig. quæ ex del.

22. Furtum *possessionis* fit, ubi debitor pignus surripit creditori, licet solvendo sit. *a*) Utrumque hodie arbitrarie puniri solet. *a. §. 14. d. t.*

23.

23. Qui *opem* tulerunt in *ipso furto*, v. g. in excubiis stando, hodie ordinaria pœna afficiuntur: modo summam lege definitam de furto perceperit, vel percipere potuerint: secus arbitraria.

v. *Landr. L. II. a* 25. *P. IV. C. El.* 39.

24. Qui vero *ante* vel *post* furtum consummatum opem præstiterunt, arbitrarie coercentur.

C. Cr. a. 177.

25. Qui *consilium* dedit, idque instructorium, furto sequuto, hodie, etiam jure SAX. EL. arbitrarie punitur.

26. Qui vero consilium dedit nudum, aut instructorium, quod furtum non est sequutum, arbitrarie quidem itidem sed mitius adhuc punitur.

27. Gravius autem, qui & ope, & consilio, furti perpetrationem adjuvit: præsertim, si & de lucro participaverit.

28. Spectant huc *Receptatores* furum aut latronum, qui scilicet scientes tales suscipiunt, aut occultant: quorum pœna est arbitraria; nisi socii criminis sint.

29. Ceterum si res furtiva adhuc extet, ea indistincte, cum a fure, tum a tertio possessore, repetitur.

L. 2. *C. de furt. O. Cr. a.* 213. *P. IV. C. El.* 33.

29. Si non extet, tunc, si fur civiliter puta, carcere, relegatione, punitur, ad restitutionem æstimationis tenetur: si autem capitis aut corporis pœnam subeat, non tenetur.

Landr. a.6.P.IV.C. *El.* 12. Decis.El.86.

TIT VIII.

DE
SACRILEGIO, PLAGIO, ABIGEATU, ALIISQUE FURTO AFFINIBUS DELICTIS.

I.

Species furti est *SACRILEGIUM*, quo res *sacra*, vel *profana* ex *loco sacro*, vel *sacra* ex *loco profano*, surripitur.

O. Cr. a. 172.

2. Hoc, si hierotheca sit ablata, jure IMP. *igne* si aliæ res, arbitrarie, gravius tamen, quam vulgare furtum, punitur.

O. Cr.

O. Cr. a. 172.

3. Jure sax. iſtud, ſi res ſacra ex loco ſacro ſit ablata, ſupplicio *rotæ*: ſi ea ex loco profano, aut res profana ex loco ſacro ſubtracta, ut aliud furtum punitur. *LR. L. II. a* 13.

4. Furti quoque ſpecies eſt *PLAGIUM*, quo *liber homo*, vel ſervus alienus, *dolo malo*, cum vel ſine violentia, ſupprimitur.

§. 10. *j. de Publ. Judic.*

5. Hoc vel arbitrarie, vel pro delicti gravitate, & atrocibus circumſtantiis urgentibus, etiam ultimo ſupplicio, punitur. §. 10. *d. t.*

6. Species denique furti eſt *ABIGEATUS*, quo quis *gregem* vel *pecus* aliud ex armentis jumentiſve, *doloſe ſubtrahit*: quod delictum hodie ut aliud furtum punitur.

7. Furto affinia ſunt: 1) *DIRECTARIATUS* crimen, quod committit, qui *furandi animo* in *cœnaculum* ſe dirigit: qualis vel ad tempus relegatur, vel fuſtigatur, vel ad tempus in opus publicum datur.

L. 7. ff. de Extraord. Crim.

8. Itemque 2) *SACCULARIORUM* crimen, quo *pecunia* ex *alienis sacculis*, malis artibus, subducitur: quale jure ROM. ut Directariatus, hodie ut furtum, punitur. *d. L. 7. eod.*

9. 3) *EXPILATAE HEREDITATIS* crimen, quod committit, qui ex *hereditate jacente* rem aufert: isque, si extraneus fuerit, *fustigatione*; si proximus cognatus, *multa*, *carcere*, *relegatione*, punitur.

10. 4) *SEPULCHRI VIOLATIO*, & *CADAVERUM SPOLIATIO*, quæ arbitrarie, pro ratione circumstantiarum, *multa*, *carcere*, *relegatione*, aliquando & *gladio*, puniuntur

L. 4. C. de Sepulchr. violat. P. IV. C. El. 34.

TIT.

TIT. IX.

DE VI PRIVATA, RAPINA, ROBBARIA, CONCUSSIONE ET USURARIA PRAVITATE.

1.

VIS hoc loco eſt delictum, quamcunque *violentiam* alteri, intuitu *bonorum* maxime, inferens.

2. Dividitur jure ROM. in *Publicam* & *Privatam*. De illa inferius: hæc eſt hujus loci.

3. *VIS PRIVATA* eſt, qua vis alicui, *ſine armis*, & *ſociis*, adeoque ſine notabili tranquillitatis publicæ turbatione, infertur.

§. 8. L. de Publ. de Jud.

4. Fit inprimis, vel de poſſeſſione rei immobilis per vim alterum dejiciendo, vel quod quis ſibi deberi putat, privatim extorquendo, vel aliud damnum per violentiam alicui dando.

5. Pœna ejus eſt arbitraria.

§. 9. d. de Publ. Jud. L. 13. π. quod met. cauſ.

6.

6. *RAPINA* est delictum, quo *palam* & per *violentiam* res aliena mobilis contrectatur: cujus pœna hodie est extraordinaria, nisi in *Robbariam*, de qua inferius, incidat.

7. *CONCUSSIO* est crimen, quo alicui *injuste terror* incutitur, pecuniæ. aliusve rei, extorquendæ gratia. Cujus pœna itidem est extraordinaria. *L. 1. π. de Concuss.*

8. *USURARIA PRAVITAS* est delictum, quo quis *usuras ultra modum*, in provincia lege vel consuetudine definitum, exigit & accipit.

9. Pœna ejus jure ROM. est *infamia*, jure CAN. juris testandi, & honestæ sepulturæ denegatio, jure *Imp. annullatio* contractus usurarij, & amissio *quartæ partis* sortis.

10. Jure SAX. ELECT. quo & ceteræ hæ pœnæ sunt approbatæ, integræ *sortis amissio* obtinet, adjecta insuper pœna extraordinaria, veluti *carceris*, *relegationis* vel *fustigationis*.

n. 10.

n. 10. 11. *L. 20. C. ex quib. cauſ. infam. c. 3. X. de uſur. R. I. d. a.* 1577. *Ord. Torg. de a.* 1583. Mand. D. *IO. GEORG. I. d. a.* 1625.

TIT. X.

DE CRIMINE FALSI, PRAEVARICATIONE, STELLIONATU ET PERIURIO.

I.

CRimen FALSI eſt doloſa *veritatis immutatio* vel *ſuppreſſio*, in *præjudicium* alterius facta. *§. 7. j. de Publ. judic.*

2. Committitur Falſum vel in *perſona* quando quis doloſe fingitur eſſe talis, qualis revera non eſt.

3. Vel in *rebus*, idque iterum vel *dictis*, ſive verbis doloſis, alterum circumveniendo, aut lædendo, vel *factis*, veluti ſcripta corrumpendo, ac falſa pro veris venditando, itemque pondera aut menſuras depravando falſiſque pro veris utendo.

4. Pœna hujus criminis eſt arbitraria eaque pro diverſa *damni* per falſum illati *levitate* aut *gravitate*, modo levior, modo

6. *RAPINA* eſt delictum, quo *palam* & per *violentiam* res aliena mobilis contrectatur: cujus pœna hodie eſt extraordinaria, niſi in *Robbariam*, de qua inferius, incidat.

7. *CONCUSSIO* eſt crimen, quo alicui *injuſte terror* incutitur, pecuniæ, aliuſve rei, extorquendæ gratia. Cujus pœna itidem eſt extraordinaria. *L.* 1. *π. de Concuſſ.*

8. *USURARIA PRAVITAS* eſt delictum, quo quis *uſuras ultra modum*, in provincia lege vel conſuetudine definitum, exigit & accipit.

9. Pœna ejus jure ROM. eſt *infamia*; jure CAN. juris teſtandi, & honeſtæ ſepulturæ denegatio, jure *Imp. annullatio* contractus uſurarij, & amiſſio *quartæ partis* ſortis.

10. Jure SAX. ELECT. quo & ceteræ hæ pœnæ ſunt approbatæ, integræ *ſortis amiſſio* obtinet, adjecta inſuper pœna extraordinaria, veluti *carceris*, *relegationis* vel *fuſtigationis*.

n. 10. 11. *L. 20. C. ex quib. cauf. infam. c. 3. X. de ufur. R. I. d. a.* 1577. *Ord. Torg. de a.* 1583. Mand. D. *IO. GEORG. I. d. a.* 1625.

TIT. X.

DE CRIMINE FALSI, PRAEVARICATIONE, STELLIONATU ET PERIURIO.

I.

CRimen FALSI eft dolofa *veritatis immutatio* vel *fuppreffio*, in *præjudicium* alterius facta. *§. 7. j. de Publ. judic.*

2. Committitur Falfum vel in *perfona* quando quis dolofe fingitur effe talis, qualis revera non eft.

3. Vel in *rebus*, idque iterum vel *dictis*, five verbis dolofis, alterum circumveniendo, aut lædendo, vel *factis*, veluti fcripta corrumpendo, ac falfa pro veris venditando, itemque pondera aut menfuras depravando falfifque pro veris utendo.

4. Pœna hujus criminis eft arbitraria eaque pro diverfa *damni* per falfum illati *levitate* aut *gravitate*, modo levior, modo

6. *RAPINA* est delictum, quo *palam* & per *violentiam* res aliena mobilis contrectatur: cujus pœna hodie est extraordinaria, nisi in *Robbariam*, de qua inferius, incidat.

7. *CONCUSSIO* est crimen, quo alicui *injuste terror* incutitur, pecuniæ, aliusve rei, extorquendæ gratia. Cujus pœna itidem est extraordinaria. *L.* 1. *π. de Concuss.*

8. *USURARIA PRAVITAS* est delictum, quo quis *usuras ultra modum*, in provincia lege vel consuetudine definitum, exigit & accipit.

9. Pœna ejus jure ROM. est *infamia*; jure CAN. juris testandi, & honestæ sepulturæ denegatio, jure *Imp. annullatio* contractus usurarij, & amissio *quartæ partis* sortis.

10. Jure SAX. ELECT. quo & ceteræ hæ pœnæ sunt approbatæ, integræ *sortis amissio* obtinet, adjecta insuper pœna extraordinaria, veluti *carceris*, *relegationis* vel *fustigationis*.

n. 10.

n. 10. 11. *L. 20. C. ex quib. cauſ. infam. c. 3. X. de uſur. R. I. d. a.* 1577. *Ord. Torg. de a.* 1583. Mand. D. *IO. GEORG. I. d. a.* 1625.

TIT. X.

DE
CRIMINE FALSI, PRAEVARICATIONE, STELLIONATU ET PERIURIO.

I.

CRimen FALSI eſt doloſa *veritatis immutatio* vel *ſuppreſſio*, in *præjudicium* alterius facta. *§. 7. j. de Publ. judic.*

2. Committitur Falſum vel in *perſona* quando quis doloſe fingitur eſſe talis, qualis revera non eſt.

3. Vel in *rebus*, idque iterum vel *dictis*, ſive verbis doloſis, alterum circumveniendo, aut lædendo, vel *factis*, veluti ſcripta corrumpendo, ac falſa pro veris venditando, itemque pondera aut menſuras depravando faliiſque pro veris utendo.

4. Pœna hujus criminis eſt arbitraria eaque pro diverſa *damni* per falſum illati *levitate* aut *gravitate*, modo levior, mo-

do

do gravior, carceris scilicet, relegationis, inustionis signi, fustigationis, imo & aliquando capitalis. *O. Cr. a.* 112. 113.

5. Peculiaris Falsi species est crimen *FALSAE MONETAE*: sed de hoc commodius infra, inter delicta, directe adversus Remp. commissa, agetur.

6. Species quoque ejus, vel ei affinis est *PRAEVARICATIO*, quae, in latiori sensu, est *Advocati* vel *Procuratoris* dolosa cum *adversario* sui clientis, in hujus praejudicium, facta *collusio*, causaeque *proditio*.

7. Haec poena arbitraria, etiam *fustigatione*, aut *infamia*, itemque *suspensione* vel *remotione* ab officio, pro diversitate circumstantiarum, coercetur.

O. Cr. 115. Mand. El. Sax. *von den Advocaten d. a.* 1723. §. 6.

8. Affinis etiam illi est *STELLIONATUS*, quod est *crimen* generale *subsidiarum*, quamcunque complectens *defraudationem*, proprio ac speciali nomine carentem. Cujus poena itidem est extraordinaria. *L.* 3. §. 1. 2. *ff.* *de stellion.*

9. De-

9. Denique & affine his est *Perjurium*, quippe quo itidem fraus aliis fit, sed de hoc infra commodius agetur.

TIT. XI.

DE DELICTIS CARNIS.

I.

Sequuntur Delicta, adversus *Familiam* admissa, quæ DELICTA CARNIS appellantur; cujusmodi censentur omnia, quibus *honesta* & *ordinata sobolis procreatio*, ex *inordinata libidine*, pervertitur.

2. Sunt autem talia: *STUPRUM*, *FORNICATIO*, *INCESTUS*, *ADULTERIUM*, *BIGAMIA*, *LENOCINIUM*, *RAPTUS*, *SODOMIA*.

3. *STUPRUM* est *concubitus illicitus soluti* cum *soluta*, seu virgine, vel vidua, eaque *honeste vivente*.

4. Estque vel *voluntarium*, quod volenti: vel *violentum*, quod invitæ, per vim, infertur.

5.

5. *Voluntarii* pœna hodie plerumque eſt *carcer*, jure SAX. EL. 14. dierum, aliquando & *pœnitentia eccleſiaſtica*: præterea neceſſitas ſtrupratam ducendi, vel dotandi, infantique alimenta præſtandi.

6. Jure SAXO GOTH. iſtud 4. 6., vel 8. dierum *carcere*, pro re nata, cum *carena*. nec non *emigrandi* e præfecturæ vel civitatis diſtrictu, *neceſſitate*, eaque annali; iteratum *duplici* hujuſmodi *pœna*; tertium denique plenaria *relegatione*, cum *tympani* famoſi ſonitu, coercetur.

v. *Fürſtl. Sæchſ. Goth. Landes-Ordn.* P. II. C. IV. *Tit.* 10.

7. Jure SAXO-ALTENB. idem *emigrandi* e jurisdictionis, ſub qua iſtud commiſſum, diſtrictu neceſſitate *perpetua* punitur: niſi matrimonium inire velint delinquentes; quo caſu, ſaltem emigratio annalis, vel multa, locum habebit.

v. *Fürſtl. Sæchſ. Altenb. Landes Ordn.* l. c.

8. *Violenti* pœna in ſtupratore, ſi conſummatum fuerit, eſt *gladius*, ſi attentatum, arbitraria. Stuprata vero, ſi jurejurando ſe purgaverit, a pœna eſt immunis:

munis: modo ſtatim iſtud probabili ratione indicaverit.

O. Cr. a. 119. *P. IV. C. El.* 30. *F. Sachſ. Altenb. Landes Ord. P. II. C. IV. Tit.* 10.

9. *FORNICATIO*, ſive *SCORTATIO*, eſt concubitus illicitus cum fœmina *ſoluta*, *pluribus* ſeſe *clam*, aut *palam*, *proſtituente*: cujus pœna hodie fere arbitraria eſt: jure SAX. EL. & DUC. in meretrice *relegationis* temporariæ, vel perpetuæ, interdum prævia *numellarum*, atque comite *tympani*, ignominia; in ſcortatore, *carceris*, aut alia gravior pœna locum habet.

P. IV. C. El. Fürſtl. Sachſ. G. Landes-Ordn. l. c. *Fürſtl. Sachſ. Altenb. Landes-Ord.* l. c.

10. Huic hodie æquiparatur *CONCUBINATUS*, quo nomine venit conjunctio viri *cœlibus* cum fœmina *viliori*, concubitus cauſa, ſine *affectione maritali*, inita: quamvis ille apud ROMANOS fuerit licitus.

L. 1. §. 1. *de Concub. L. un. C. eod.* Reform. Polit. d. A 1548. *t. von leichtfertigen Beyvvohnungen*

11. *INCESTUS* eſt concubitus inter *conſanguineos* vel *affines* in gradu prohibito ſcienter admiſſus.

12. Hic jure SAX. EL. & DUC. inter conſanguineos in linea recta punitur *gladio*: inter fratres vero & ſorores, vel cum alterutrius liberis commiſſus, *fuſtigatione* & *relegatione*.

13. Inter conſobrinos aut cognatos in gradu tertio lineæ inæqualis; ſi reſpectus parentelæ ſubſit, *relegatione perpetua*: ſecus *temporaria*, coercetur.

14. Inter affines in linea recta, & in gradu primo collateralium, *fuſtigatione* cum *relegatione perpetua*: in ulterioribus, *temporaria*, coercetur.

11.14. *P.IV.C.El.Sax.22.24.Ord.Eccl.Sax.t.von Ehesachen*, rubr.*welchen Perſonen ſich in Ehegelœbniſs mit einander einzulaſſen verbothen. Furſtliche Sæchſ. Goth. Land. Ordn.* l.c.*Furſtl. Sæchſ.Altenb. Landes-Ordn.* l. c.

15. *ADULTERIUM* hodie eſt *fidei conjugalis violatio* per *concubitum* doloſum conjugis cum perſona alia, admiſſa.

O. C. a. 120.

16.

16. Estque vel *Simplex*, quod conjux cum *soluto solutave*: vel *Duplex*, *Oberhurerey*, quod *conjux* cum alterius *conjuge*, committit.

17. Jure JUSTIN. IMP. *Simplex* cum *nupta* admissum, itemque *Duplex* in adultero punitur *gladio*, in adultera, *fustigatione*, cum *detrusione* in *monasterium*, vel hodie *relegatione perpetua*.

L. 30. §. 1. *C. ad L. Jul. ad Adult. Nov.* 134. *L.* 15. *O. C. a.* 120.

18. *Simplex* cum *soluta* commissum in marito punitur *fustigatione* cum perpetua relegatione: in fœmina autem *carcere*, vel temporali *relegatione*. *Nov. Leonis* 32.

19. Jure SAX. EL. & DUC. GOTH. ac ALTENB. Adulterium *duplex*, itemque *simplex*, ubi vir est solutus utrinque punitur *gladio*: si autem vir sit maritus, hic itidem *gladio*, fœmina vero soluta *fustigatione* punitur. *P. IV. C. El.* 19.

20. Requiritur vero eodem jure ad pœnam ordinariam & delicti *consummatio*, & secundum nonnullorum sententi-

E am,

am, utriusque confessio: Secus arbitraria pœna locum habet.

21. Mitigatur eadem pœna ob *remissionem* ac *intercessionem* conjugis, & in *relegationem perpetuam* plerumque convertitur ut tamen pars innocens nocentem sequi teneatur: modo in SAX. EL. & DUCALI non fuerit adulterium duplicatum.

d. C. El. F. S. Goth. und. Altenb. L. Ordn. l. c.

22. Mitigatur quoque, si *remedium ustionis*, casu vel culpa alterius conjugis nocenti defuerit; vel solutus rem cum uxore, *meretricio* more vivente, habuerit.

23. Species quædam adulterii censetur, si *sponsus*, vel *sponsa*, cum alia persona commisceatur: quod regulariter *fustigatione* utrinque, in soluta vero *relegatione*, punitur; nisi remissio partis innocentis mitigationi locum faciat.

L. 13 §. 3. *π. de Adult. L.* 7. *C. eod. Furstl.* 5. *Goth. und. Altenb. Landes-Ordn.* l. c.

24. Affinis adulterio est *BIGAMIA* simultanea, ubi persona conjugata cum

alia

alia adhuc persona nuptias celebrat: quæ jure GERM. indistincte gladio punitur. O. Cr. a. 121. P. IV. C. El. 20.

25 *LENOCINIUM* est crimen, quo quis *prostitutionem alienæ pudicitiæ* adjuvat.

26. Jure GERM. maritus, vel parentes, uxorem liberosve prostituentes, emolumenti causa, *capite* plectuntur: secus, *fustigatione*. O. Cr. a. 122. Nov. 14. §. præcon.

27. Qui vero honestas personas alias, sine quæstu etiam, ad stupra, vel adulteria, seducunt, vel meretrices quæstus causa alunt; arbitrarie puniuntur, ad fustigationem usque. O. Cr. a, 123.

28. Jure SAX. lenocinium parentum & mariti, si quæstus causa fiat, *itidem gladio*: ceterum *fustigatione* & *relegatione perpetua* punitur. P. IV. C. El. 29.

29. Reliqua lenocinia quæstuaria, etiam prostibulorum, *fustigatione*: Si sine quæstu fiant, *relegatione*, vel *carcere* coercentur.

30. *RAPTUS* est crimen, quo quis *fœminam honestam*, *invitam*, vel *dolo* persuasam, vel saltem invito parente, maritove, *libidinis* vel *matrimonii* causa, de loco in locum *abducit*.

31. Raptor talis *gladii* pœna afficitur; quæ tamen, si rapta sponte ei nubat, hodie mitigatur: adjutor vero extra ordinem, veluti temporali relegatione, coercetur.

§. 8. j. de Publ. Judic. O. Cr. a. 118. c. 6. f. X. de rapt.

32. *SODOMIA* denique est delictum carnis nefandum, quod *homo* vel cum *homine* contra naturam, vel cum *bruto*, committit.

33. Hoc priori casu *gladio* punitur, posteriori, *igne*, quo & brutum comburitur.

29 30. §. 4. j. de Publ. Jud. O. Cr. a. 116. C. El. 5.

TIT.

TIT. XII.

DE
CRIMIME LAESAE MAJESTATIS ET AFFINIBUS DELICTIS.

I.

Sequuntur Delicta, directe adversus Remp. committi solita: quorum alia circa *Summam* Reip. *Potestatem*; alia circa *officia publica*; alia circa *securitatem* & *utilitatem civium* & *subditorum*, non tamen qua singulorum, sed qua universitatis, versantur.

2. Ad primam classem pertinet CRIMEN LAESAE MAJESTATIS, quo *Summa* Reip. *Potestas* læditur. Estque vel crimen *PERDVELLIONIS*, vel *MAJESTATIS in specie*.

3. Crimen *PERDVELLIONIS* est, quo subditus directe adversus *Principis* aut *Reip. securitatem hostili* animo quid facit, vel machinatur: *L.* 1. *§.* 1. *ff. ad L. Jul. Maj.*

4. Species ejus est. *PRODITIO*, qua Reip. salus vel incolumitas hostium in-

vaſioni & periculo, doloſa revelatione exponitur.

5. Committitur hoc Crimen jure ROM. non ſolum adverſus *Principem*, ſed etiam *Conſiliarios* ejus ac Senatores. *L. 5. C. ad L. Jul. Maj.*

6. Hodie jure IMP. iſtud committitur non ſolum adverſus IMPERATOREM R. G. ſed etiam ELECTORES, tanquam principes Imperii partes, idque ab omnibus Imperii ſubditis. *A. B. Tit. 24. pr.*

7. Adverſus reliquos IMP. STATUS videtur iſtud a ſolis ſubditis territorialibus committi: unde & a nonnullis crimen *Læſæ Superioritatis Terr.* appellatur.

8. Pœna ejus jure IMP. eſt *ultimum ſupplicium*, ſpeciatim *gladii*, cum *damnatione memoriæ* & *confiſcatione* bonorum. *A. B. t. 24.*

9. Quæ pœna interdum, in Proditoribus maxime, exaſperatur: ita, ut vel *quadrigis* diſcerpantur, vel, *capite* truncato, in *quatuor partes* diſſecentur, mulieres vero *ſuffocentur*. *ib.*

10.

10. Liberi quoque perduellium fiunt infames, atque testamenti factionis incapaces. *L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.*

11. Sufficit autem ad has pœnas solus *conatus*, actu externo declaratus: imo & *silentium* scientis, nec deferentis.

12. Eadem gladii pœna, non autem præcise dissectio in partes, locum habere videtur, si quis contra *Ministros Principis*, animo proditorio & rebelli, quid machinetur.

13. Spectat quoque huc *Seditio*, quæ est mobilis vulgi *concursus tumultuarius*, adversus *Principem*, vel *Magistratum* excitatus, & quietem publicam turbans. *O. Cr. a. 127. pr.*

14. Hæc si adversus *Principem* insurgit, Perduellionis species est; atque *gladio*, vel, pro re nata, duriori pœna, vindicatur.

15. Si vero adversus *Magistratum*, vel *Civitatem*, movetur, ei tantum affinis est: atque vel *capite*, vel *fustigatione*, vel *relegatione*, punitur.

16. Crimen *LAESAE MAJESTATIS in specie* committit subditus, qui vel *jura majestatis* usurpat, vel *contumelia* Principem afficit.

17. Hoc punitur arbitrarie, *relegatione*, *mulcta*, *carcere* perpetuo, rarius morte: nec cetera additamenta locum habent.

18. Peculiaris ejus species est Crimen *FALSAE MONETAE*, quod committitur, vel *falsam* monetam *cudendo*, vel probam *adulterando*, vel falsam talem aut adulteratam *expendendo*.

19. Qui falsam monetam ex materia vitiosa format sive cudit, ac dolose expendit, *igne* punitur: modo ea auctoritatem Imperatoris aut Statuum Imp. prae se ferat: secus *gladio*. *C. Cr. a.* 111.

20. Qui falsam monetam solum cudit, sed non expendit, *gladio*: qui vero non cudit, sed solum *expendit*, fustigatione & *perpetua relegatione*, punitur.

21. Qui denique monetam justae quidem materiae & ponderis cudit, sed jure monetandi caret; vel probam & justam adul-

adulterat: pœna arbitraria, corporis afflictiva, vel pecuniaria, coercetur.

22. Affine eidem est *Maledictum* in *Principem*, quod tamen nonnisi arbitrio ipsius Principis, ad quem istud a judice propterea referendum, punitur, vel remittitur.

L. un. C. Si quis Imp. maledix.

TIT. XIII.

DE CRIMINIBUS CIRCA OFFICIA ET BONA PUBLICA.

I.

Circa *Officia* publica committi possunt crimen *AMBITUS*, *SIMONIAE*, & *REPETUNDARUM*, sive *BARATTARIAE*.

2. Crimen *AMBITUS* est, quo tenetur is, qui *illegitimo* modo, v. g. data pecunia, *munus publicum* sibi parat: qualis hodie arbitrarie punitur. v. *t. π. de L. Jul. Amb.*

3. Huic affinis est *SIMONIA*, quam committit, qui *officium ecclesiasticum* pro pecunia sibi comparat.

4.

4. Punitur in *clerico* remotione ab officio cum infamia, & amissione ejus, quod datum est, quippe Ecclesiæ applicandi in *laico* præstatione dupli, itidem Ecclesiæ applicandi.

L. 31. C. de Episc. & Cler. N. 123. *c.* 2. §. 1.

5. Crimen *REPETUNDARUM*, quod & *BARATTARIA* aliis vocatur, committitur ab iis, qui in *officio publico* constituti *dona* capiunt, ut magis aut minus quid in officio faciant. v. t. *L. Jul. Repet.*

6. Punitur istud hodie arbitrarie, *mulcta* præsertim, vel *remotione* ab officio, pro re nata, vel *relegatione*.

7. Circa *Bona* publica committitur Crimen *RESIDUI* & *PECULATUS*.

8. Crimen *RESIDUI* est *pecuniæ publicæ*, ab *Administratore* facta, *interversio*.

9. Pœna ejus jure ROM. est *tertia pars* amplius, quam debetur; *a)* hodie vero in foro communi est arbitraria: sed in SAXONIA EL. si summa subtracta sit infra 50. florenos, *carcere*, vel *relegatione* temporali, sin supra 50. florenos, *fustigatio-*

tione; denique si centum florenos excedat, vel æquet, *laqueo* punitur. *b)*

a) L. 4. 4. §. 5. π. ad L. Jul. pecul.

b) Const. El. 41. *P. IV.* & Constit. noviss. *vom anvertrauten Guthe* d. d. 26. Sept. A. 1705.

10. *PECULATUS* in sensu strictiori est crimen, quo *pecunia publica surripitur* ab eo, cujus *fidei* & *periculo commissa non est*. *L. 4. pr. π. Ad L. Jul. Peculat.*

11. Pœna eius hodie eadem est, quæ furti, adeoque pro diversa surrepti quantitate diversa.

TIT. XIV.

DE CRIMINIBUS CONTRA SECURITATEM ATQUE UTILITATEM CIVIUM PUBLICAM COMMISSIS.

1.

S*ecuritati* publicæ civium adversa sunt, *VIS PUBLICA*, *PACIFRAGIUM*, *DIFFIDATIO*.

2. *VIS PUBLICA* est crimen, quod per violentiam graviorem, vel *armis* adhibi-

hibitis, vel *coadunatis hominibus*, securitatem, & quietem publicam turbat. v. t. π. *ad L. Jul. de Vi publ.*

3. Pœna ejus est *arbitraria*, eaque, pro diversitate violentiæ, modo gravior, modo levior.

4. Vis publicæ species sunt: 1) *VIOLATIO SECURITATIS DOMESTICAE* aut *MVNICIPALIS*, ubi quis contra securitatem ædium privatarum, aut municipiorum, hostili animo aliquid molitur. 2) *VIOLATIO PACIS*, *BVRGENSIS*, sive securitatis sanctioris, certis locis ex privilegio competentis.

5. 3) *OBSESSIO VIARVM VVegelagerung*, quod crimen committitunt, qui in viis publicis transeuntes, animo verberandi, vulnerandi, spoliandi, aut occidendi, insidiose expectant & invadunt.

6. Pœna hujusmodi criminum est arbitraria: quæ tamen, pro atrocitate circumstantiarum, cumprimis læsionis ac damni gravitate, ad corporis afflictivam, veluti amputationem manus, aut fusti-

fustigationem, imo capitalem, extendi potest.

7. *ROBBARIA* est crimen, quo, cum *depraedatione violenta*, & *violatione securitatis publicae*, sive in viis aut agris, sive in aedibus, homines *spoliantur*.

LR. *L. II. a.* 13. *O. Cr. a.* 126. *P. IV. C. El.* 35.

8. *PACIFRAGIUM* seu *CRIMEN FRACTAE PACIS PUBLICAE*, committitur, quando, *vi armata* & *atroci*, *coadunatis hominibus*, dolose excitatis *turbis*, securitas publica violatur.

9. Poena hujus criminis, si reus absens sit, est *Bannum* Imperii, in quod ipso facto incidit, ut tamen sententia declaratoria accedere debeat: si vero praesens sit, *capitis*.

10 Locum quoque habet poena pecuniaria 2000. *marcarum* auri puri, eaque inter Fiscum & actorem dividenda; maxime tunc decernenda, si universitas ruptae pacis rea, vel Magistratus in vindicando eodem delicto negligens sit.

R. I.

R. I a. 1494. Tit. *de* Pœn. *der Friedbrecher.* Conft. de Pace Publ. VVorm. a. 151. R. I. a. 1548. *Ord. Cam. P. II. T.* 9. *Conft. Crim.* art. 129.

11. Ejufdem fere commatis habetur *DIFFIDATIO*, feu talis hoftilitatis minitatio, unde toti univerfitati periculum imminet: unde & eadem pœna coercetur.

Conft. Pac. Publ. d. a. 1521. *Tit.* 1. *O. Cr. a.* 128. *P. IV. C. El.* 15.

12. Ab ea differt *Minitatio nuda*, qua quis inimico, verbis, vel fcriptis, quodvis, fed foli illi nociturum, malum minatur.

13. Hæc fi executioni mandare minas conetur minitator, *gladio* punitur: alias idem in carcere detinetur, donec idoneam cautionem de non offendendo preftet. *O. Cr. a.* 128.

14. *Utilitati* civium publicæ adverfatur Crimen *Annonæ fraudatæ* & *Monopolium.*

15. Crimen *DEFRAUDATAE ANNONAE*, cum quo hodie coincidit DAR-

DARDANARIATVS, committitur ab iis, qui dolo malo faciunt, ut *annonæ rarior* vel *carior* fiat. Punitur hodie arbitrarie. *L.* 1. 2. *π. L. Jud. d. Ann.*

16. *MONOPOLIVM* est crimen, quo quis *commercium*, alias *commune*, privata auctoritate, *sibi soli* arrogat. Cujus pœna jure IMP. est *confiscatio bonorum*.

Res. Bl. d. a. 1584. t. 18. §. 2. *O. Cr. a.* 133.

17. Affine est *PROPOLIVM*, quo quis *dolose* præ aliis *coëmit merces*, ut maximo cum *lucro* iterum *divendat*. Hoc jure IMP. eadem, jure SAX. EL. in coemtione lanæ, amissione mercium ac XX. florenorum pœna coercetur.

Res. Grav. d. A. 1661. *t. Just. S. Gr.* 74.

TIT. XV.

DE DELICTIS IN DEUM COMMISSIS.

I.

Delicta in DEUM commissa, quæ uno nomine CRIMEN LAESAE MAJESTATIS DIVINAE appellantur in foro humano puniuntur quatenus *pericu-*

riculum vel *damnum* in *Remp.* ejusve *cives*, inde redundat.

2. In hunc censum referuntur: *BLASPHEMIA*, *PERIURIUM*, *HAERESIS* & *MAGIA*.

3. *BLASPHEMIA* est crimen, quo DIVINA MAJESTAS, *verbis factisve contumeliosis*, læditur.

4. Estque vel *immediata*, qua, per *maledicta* aut *convicia*, Deo tribuitur, quod ejus proprietatibus non convenit, vel detrahitur, quod convenit.

5. Hujus pœna ordinaria est *gladius*: vel, si circumstantiæ pœnam mitigantes concurrant, membrorum mutilatio, i. e. abscissio linguæ; jure SAX. EL. hodie, *fustigatio* cum perpetua relegatione.

R. I. a. 1548. t. *von Gotteslæster.* §. 2. *O. Cr. a.* 126. *P. IV. C. El.* 1. *Decis. El.* 75.

6. Vel *mediata*, qua quis alteri maledicit, vel temere jurat per *sacramenta* Dei.

7. Hæc jure IMP. post admonitionem semel frustra factam, punitur arbitrarie: jure SAX. EL. etiam pœna *numellarum*,

mo-

modo imprecatio expresse per *Dei Sacramentum* facta, & repetita sit.

R. I. a. 1548. t. *von. Gottes-Schwuren und Fluchen. d.C. El.Mand.Reg.El. Sax.d.* 4.*Aug. a.*1712.

8. *PERJURIUM* est delictum, quo quis *fidem juratam* dolose *fallit*.

9. Pœna ejus est arbitraria: aliquando *abscissio*, duorum *digitorum*, vel potius, priorum in iis articulorum; si scilicet in judicio, lucri causa, pejeratum, vel urpheda fracta sit.

O. Cr. a. 108. *P. IV. C. El. Sax.* 48.

10. In SAX. EL. qui *urphedam* fregit, prima vice, si ob causam, a dolo excusantem, reversus fuerit, mitius, cum comminatione tamen gravioris pœnæ, secunda vice indistincte *fustigatione*, tertia autem vice, *ultimo supplicio*, punitur *d. C. El.*

11. *HAERESIS* vulgo definitur *pertinax* in *articulis fidei fundamentalibus error*: Juridice etiam definiri potest, *opinio*, *a doctrina* fidei, *publice probata* & *recepta*, recedens; ac dividi in *nudam* & *prægnantem*.

F 12.

12. At *Hæresis nuda*, quatenus scilicet in nudo intellectus errore consistit, crimen non est; quippe quod malitiam voluntatis requirit, eamque in facta externa, Remp. turbantia, erumpentem.

13. Atque adeo Hæreticus qua talis, quamdiu tranquille vivit, ac legibus obtemperat, puniri nequit: quamvis, ne errores suos disseminet, ipsi interdici, & ab Ecclesia, a cujus doctrina recedit, excludi queat.

14. *Hæresis* vero *prægnans*, quæ nempe cum alio crimine conjuncta est, puniri potest, pro ratione criminis conjuncti.

15. *MAGIA*, quæ & *SORTILEGIUM* vocatur, est crimen, quo quis *diabolo* se *associat*, aut *diabolicis artibus* utitur, vel ad aliis nocendum, vel saltem, præter naturæ ordinem, aliquid perficiendum.

16. Qui se *diabolo associat* per expressum *pactum*, cum illo initum, punitur *igne*: jure IMP. quidem, si damnum aliis ita datum sit, jure SAX. EL. vero, etiam si nemini nocuerit.

Q. Cr.

O. Cr. a. 109. *P. IV. C. El.* 2.

17. Qui nefandum cum *diabolo concubitum* exercet, *igne* punitur, jure IMP. & SAX. licet pacto expresso se illi haud mancipaverit. *O. Cr. a.* 116.

18. Qui *diabolicis artibus* utitur, sine pacto expresso, is, si damnum dederit, punitur jure IMP. *igne* jure SAX. vero tantum *gladio*.

O. Cr. d. a. C. El.

19. Si nec damnum dederit, veluti *Sortiarius*, *ein Seegen-Sprecher*, extra ordinem, *fustigatione*, *relegatione*, aut *carcere*, punitur: ita quidem, ut sacerdotum etiam admonitio antecedere debeat.

O. Cr. d. a.

LIB. III.

DE

JUDICIO PROCESSUQUE CRIMINALI.

TIT. I.

DE

JUDICIO CRIMINALI UNIVERSIM.

I.

JUDICIUM CRIMINALE eſt, quod *pœnam Criminum publicam, delinquentibus infligendam, perſequitur*.

2. Conſtat illud JUDICE, *SCABINIS* & *ACTUARIO*. Quibus, miniſterii, vel executionis cauſa, accedunt, *Apparitores*, *Lictores*, & *Carnifex*.

3. JUDEX hoc loco eſt, cui *juriſdictio criminalis*, ſive *poteſtas crimina coercendi*, atque adeo *judicium criminale exercendi*, competit.

4. Ejus igitur eſt, *judicium* criminale *dirigere*, de delictis *cognoſcere*, *ſententiam* pronunciare, atque *executioni* mandare.

5.

5. Unde officium ejus per *omnes judicii partes* se diffundit, summa vero illius *juramento* continetur. Poteſt tamen illud etiam hodie per alium, ceu *Administratorem*, exerceri. *O. Cr. a.* 1. 2. 3.

6. Ad *habilitatem* judicis requiritur, ut 1) ſit vir *bonus juſtus*, & *æquus*, affectibus vitioſis, & partium ſtudio, vacuus, nec non rerum criminalium *peritus*: quamvis poſterius requiſitum etiam per alios ſuppleri poſſit; *a*) imo in cauſis dubiis ſemper Ictorum ſententia exquirenda ſit. *b*)

a) *O. Cr. a.* 2. *b*) *O. Cr. a.* 7.

7. 2) *Competens*, tam ratione *juriſdictionis*, quam ratione *fori*.

8. Ratione *juriſdictionis* competens dicitur, qui ea *juriſdictionis ſpecie* pollet, ad quam coercitio delicti commiſſi pertinet.

9. *Juriſdictio* hæc, præſertim in SAXONIA in *Superiorem* & *Inferiorem*, ſive *Altam* & *Baſſam*, *die Ober- und Untergerichte*, dividitur: Quænam vero cauſæ, aut delicta, ad alterutram ſpectent, niſi,

 lege

lege definitum sit, ex usu cuiusque loci addiscendum.

10. Plerumque ad iurisdictionem *inferiorem* refertur coërcitio delictorum leviorum, quorum pœna est levior mulcta, aut carcer, speciatim in SAX. EL. non ultra 8. dierum carcerem, aut, 4. sexagenarum novarum, se extendens.

11. Ad *Superiorem* vero pertinent crimina non solum ea, quorum pœna est corporis afflictiva, vel relegatio, sed etiam quæ carcere multarum hebdomadum, vel mulcta majori coërcentur.

n. 10. 11. v. Const. Sax. El. d. a. 155. tit. *VVas zu Ober-Nieder-und Erbgerichetengehoret. Furstl. S. Goth. Landes-Ord.* P. II. C. I. Tit. 8. *von denen in die Ober-Centh.und Erb-Gerichte gehorigen Fallen. Furstl. S. Altenb. Land. Ordn.* P. II. C. I. Tit. V. *von denen in die Ober-und Erb-Gerichte gehorigen Fallen.*

12. Ratione *delinquentis* vero forum dicitur competens, 1) Locus *delicti* commissi, 2) *deprehensionis*, 3) *domicilii*.

13. Quodsi delinquens in loco delicti commissi non deprehendatur, Judex illius loci regulariter adversus ipsum procede-

cedere nequit: neque Judex loci deprehenſionis eum neceſſario hodie remittere tenetur; quod tamen ſæpe ex conventione, vel urbanitate, datis litteris reverſalibus, interdum etiam ex lege, fieri ſolet.

14. *SCABINI* ſunt *Aſſeſſores judiciorum criminalium*, hodie fere *ſolemnitatis* cauſa tantum adhiberi ſoliti: de quorum neceſſitate ex uſu cuiuſque loci iudicandum. *O. Cr. a.* 4

15. *ACTUARIUS*, qui & *NOTARIUS* ſæpe audit, eſt *ſcriba judicii* criminalis, cuius officium eſt, omnia *acta* & *dicta* in hoc iudicio fideliter ac diligenter *conſignare*, atque conſignata *cuſtodire*. *O. Cr. a.* 184. 185.

16. Quem in finem ſtatim ab initio officii jurejurando obſtringendus eſt, quod jure SAX. EL. ex poſt-facto, peractaque inquiſitione, ſupplere non poteſt. O. Cr. a. 5. Ord. Proc. Sax. El. Tit. 6. 3.

17. Neque etiam *Judex* illius vices de jure ſupplet; neque *Notarius* Cæſareus, niſi ſpeciatim ad acta juraverit.

18. Quamvis *Actuarius* etiam Judicis vice, ceu *Administrator* five *Director* judicii, fungi queat; & in SAXONIA EL. etiam *Notarius* publ. Cæfar. majoris fidei caufa, requiratur.

Dec. El. Sax. 28. Ord. P. El. S. N. Tit. II. §. 7.

19. *Apparitores* & *Lictores* funt miniftri judiciorum criminalium, qui citandis, vel apprehendendis & cuftodiendis reis, interdum & exequendis pœnis, adhibentur.

20. *Carnifex* denique eft minifter, qui pœnam corporis afflictivam, vel capitalem, reo infligendam, exequitur.

21. Præter Perfonas, judicium criminale exercentes, hic etiam occurrunt *Perfonæ*, in quas iftud exercetur: quarum aliæ funt principales, ut *Accufator* & *Reus*; aliæ acceflforiæ, ut *Procuratores* & *Defenfores*.

22. *Accufator* dicitur, qui crimen ab aliquo perpetratum ad judicium defert, publicæ vindictæ caufa.

23. Eftque

23. Eſtque vel *privatus*, qui ſuo nomine aliquem accuſat: quod cuique regulariter licet, niſi quis ſpeciatim prohibeatur; licet crimen ipſum in ſpecie non tangat.

24. Vel *publicus*, qui & *Advocatus* ſive *Procurator Fiſci*, ſeu *Fiſcalis*, audit, eſtque perſona publica, quæ juribus fiſci invigilat, & reos, qui publicam merentur pœnam, in iudicio perſequitur.

25. Quamvis in Saxonicis, aliiſque Germaniæ Provinciis, ubi accuſationes minus frequentantur, hoc accuſandi officium rarius locum inveniat.

26. *Reus* dicitur, qui criminis Judici ſuſpectus eſt redditus, & adverſus quem in iudicio criminali proceditur: Pro diverſitate proceſſus autem vel *Accuſatus*, vel *Inquiſitus*, vel *Denunciatus* audit.

27. *Procurator* hoc loco eſt, qui vel Accuſatoris, vel Rei, partes, illorum mandato, in judicio ſuſcipit.

28. Et pro *Accuſatore* quidem Procurator hodie indiſtincte; pro *Reo* autem criminis regulariter non admittitur: niſi abſen-

abſentiam eius, legitimas illius cauſas allegando, ante L. C. excuſare, vel ſaltem conductum petere, vel exceptiones dilatorias opponere velit, aut delictum ſit levius, mulcta ſaltem coercendum.

29. *Defenſor* denique eſt Advocatus Rei, qui eidem in judicio præſenti conſilio adſiſtit, atque innocentiam eius, propoſitis exceptionibus, ſuſpicionem criminis elidentibus, probare conatur: qualis utique admittitur.

TIT. II.

DE PROCESSU CRIMINALI UNIVERSIM.

I.

PROCESSUS CRIMINALIS, in generaliori ſenſu acceptus, eſt *modus & ordo in judicio adverſus delinquentes procedendi, pœnamque illis infligendi*. Dicitur etiam *Judicium criminale*.

2. Eſtque vel *ACCUSATORIUS*, vel *INQUISITORIUS* latius dictus. Ille iterum vel in *ſpecie* talis, vel *Bannitorius*: Hic vel *ſolemnis* ſive *Inquiſitorius* in ſpecie,

cie, vel *Summarius* five *Denunciatorius*. Utrique accedit *Executorius*.

3. *ACCUSATORIUS* Proceffus in fpecie talis eft, in quo, *folemni* iuris *ordine* fervato, ab *accufatore* adverfus *accufatum* proceditur.

4. Hinc partes eius potiores funt: *Libelli* accufatorii oblatio, *fatisdationis* præftatio, *Litis conteftatio*, *Probatio* & *Reprobatio*, *Sententia*; Quibus nonnunquam remedia fententiæ fufpenfiva, *Leuteratio* & *Appellatio*, *accedunt*.

5. *Infcriptio* Accufatoris & *fubfcriptio* iu *pœnam talionis*, jure ROM. requifita, hodie non obtinet: fed *fatisdatio* tantum de accufatione perfequenda, expenfis refundendis, ac damno vel injuria reparandis.

L. 3. 6. *π. de Accuf. L. f. C. eod. O. Cr. a.* 12. 13.

6. Neque etiam *incarceratio* eius, quam, donec caverit, ius IMP. exigit, fed fola *Gvaranda*, iure SAX. locum habet.

O. Cr. *a.* 12. 14. 181. VVeichbild. *a.* 114.

7. *BANNITORIUS* Processus, *der Achts-Proceß*, alius est iuris IMP. qui ad *bannum imperii* tendit: Alius iuris SAXONICI, quo adversus criminis capitalis reum, satisque gravatum, fugitivum aut latitantem, prævia solemni accusatione, ad *bannum* proditur.

8. *Bannum Saxonicum* est vel *Primum* sive *Inferius*, die *Acht*, sive *Unter-Acht*, vi cujus reus contumax sub iurisdictione Judicis bannientis commorari prohibetur, & cuilibet, eum capere, iudicioque tradere permittitur:

9. Vel *Secundum*, sive *Superius*, *die Aber-Acht* sive *Ober-Acht*, quod, post primum bannum, intra annum non purgatum, decernitur, atque eundem habet effectum, prætereaque fama & bonis bannitum privat.

10. Ad *primum* ita proceditur, ut reus edictaliter citetur, atque contumax primum in *legitima impedimenta*, deinde vero in *bannum inferius*, declaretur.

11. Ad *secundum* ita, ut reus, elapso anno, prævia nova accusatione, ad averten-

tendum bannum primum, denuo citetur, ac denuo contumax primum in legitima impedimenta, deinde in *bannum superius* declaretur.

v. *Land-Recht L. I. a.* 67. 68. *L. III. a.* 24. Decis. El. Sax 77. P. III. C. El. 6.

12. *INQUISITORIUS solemnis*, & proprie dictus, est, in quo reus summarie examinatus, ad *Articulos inquisitionales* respondere cogitur, atque deinde pro re nata cum testibus juratis, ad articulos testimoniales prius examinatis, confrontatur, quin &, pro re nata torturæ subjicitur.

13. Atque hic famam quodammodo gravat: nec obtinet, nisi in criminibus, quorum pœna, vel ad ultimum supplicium, vel ad corporis afflictivam, vel ad relegationem, adscendit.

14. *DENUNCIATORIUS* Procefsus, *der Rügen-Procefs*, est, in quo reus, prævia *denunciatione*, *summarie* tantum, sine articulis, examinatur; & obtinet in delictis levioribus, quorum pœna tantum pecuniaria est, vel carceris, vel numellarum, absque relegatione. v.

v. *Fürstl. Sæchs. Goth. Ordn. von Bestellung des Rügen-Gerichts* de a. 1646.

15. His denique accedit *Executorius* Processus, seu modus & ordo, in executione pœnæ observandus.

TIT. III.

DE INQUISITIONE PRÆSERTIM GENERALI.

I.

INQVISITIO est *legitima delicti commissi ac delinquentis investigatio, a Judice ex officio instituta.*

2. Instituitur ea plerumque, vel præ via *denunciatione*, vel *publica fama*, Judicem de delicto commisso certiorem reddente, vel etiam eodem, ex *proprio sensu* eidem innotescente.

3. Dividitur in *GENERALEM* & *SPECIALEM*; quæ tamen partes potius, quam species inquisitionis videntur.

4. *GENERALIS* Inquisitio est, quæ tendit ad *corpus delicti*, ejusdemque *auctorem*, detegendum.

5. Pe-

5. Peragitur autem plerumque *summario testium*, &, si de *reo* constare cœperit, etiam *hujus*, sed itidem *summario*, *examine*; interdum & *oculari inspectione*.

6. *Corpus delicti* vocatur vel ipsum delictum perpetratum, ejusque veritas, vel objectum delicti commissi, vel signum ejus externum.

7. In delictis *facti permanentis* & ubi objectum vel subjectum delicti præsto est, ad investigandam delicti commissi veritatem, necessaria est *Ocularis inspectio*.

8. Hæc ut legitime fiat, a *Judice*, atque duobus minimum *Scabinis*, nec non *Actuario*, jurato, adhibitis etiam artis peritis, veluti *Medicis* & *Chirurgis*, vel *abstetricibus*, pro re nata, iisque iuramento obstrictis, instituenda.

O. Cr. a. 149.

9 In delictis *facti transeuntis*, & ubi objectum delicti oculis subductum est, corpus delicti *Confessio delinquentis* repræsentat: modo aliis indiciis firmata sit.

10. Si-

10. Simul ac de corpore delicti, eiusque auctore, probabiliter constat, praevio summario huius examine, ad specialem inquisitionem proceditur.

TIT. IV.

DE INDICIIS ET PROBATIONIBUS DELICTI.

I.

INDICATA sunt *argumenta* vel *signa*, ex quibus *delicti* commissi *veritas*, vel *delinquentis persona*, certo aut probabiliter colligitur.

2. Ex his 1) alia sunt *verosimilia* sive *probabilia*, alia certa & *indubitata*: 2) alia *remota*, alia *propinqua*, vel *proxima*: 3) alia pluribus delictis *communia*, alia certo delictorum generi *propria*.

3. 4) Alia *Corpus delicti* tantum, alia & *Auctorem delicti* indicant.

4. 5) Alia *Inquisitioni* saltem *generali*, alia etiam *speciali*, alia denique *torturae* caussam praebent.

5. De-

5. Delicti perpetratio, ejusve indicia, nisi sint notoria, legitime *probari* debent, vel per *testes*, vel per *documenta*: ita quidem, ut, pro diversitate finis, qui intenditur, diversus quoque probationis gradus sufficiat, vel requiratur.

6. Ex Indiciis, certam personam gravantibus, oritur *Præsumtio* mala, qua quis delicti commissi suspectus redditur.

7. Hæc viam aperit ad *Media eruendi veritatem*, quibus vel confessio rei gravati extorquetur, vel suspicio criminis admissi ab eo eliditur, atque adeo innocentia ejus ad liquidum perducitur.

8. *Media* hujusmodi sunt: *Juramentum*, *Purgatorium* & *Tortura*: ita tamen, ut pro diverso probabilitatis aut certitudinis gradu, diversaque delicti admissi levitate aut gravitate, modo illud, modo hæc, & hujus iterum modo primus, modo ulterior gradus adhibeatur.

9. Ceterum de *Indiciis* his, pariter ac *Mediis* eruendi veritatem, generatim notandum, quod tam illorum effectus, quam illorum gradus determinandi fere

arbitrio Judicis, vel Collegii Juridici, ab eo consulendi, relinquatur.

TIT. V.

DE INQUISITIONE SPECIALI.

I.

INQUISITIO SPECIALIS est, qua adversus *certam personam*, indiciis satis oneratam, ad *confessionem* ejus eliciendam, atque dehinc *pœnam* ei infligendam, proceditur.

2. Hanc non instituit, nisi Judex, jurisdictione superiori gaudens, ac tam ratione delicti commissi, quam personæ delinquentis, competens.

3. Sed nec locus ei est, nisi & *qualitas delicti* eandem permittat, & *indicia* sufficientia reum urgeant.

4. *Delictum* tale esse debet, ut vel pœnam corporis afflictivam, vel saltem relegationem, etiam temporariam, mereatur.

5. Quænam indicia ad eam sufficiant, generali regula definiri nequit, sed

sed prudenti Judicis arbitrio relinquitur.

6. Referuntur in hunc censum: 1) *Diffamatio* certæ personæ publica; 2) *Denunciatio* partis læsæ vel personæ publicæ; 3) *Inculpatio* complicis; 4) *Affirmatio* moribundi;

7. 5) *Præsentia* rei in loco suspecto, eaque insolita: 6 *Conversatio* cum *facinorosis*; 7) *Fuga* sine alia probabili causa suscepta;

8. 8) *Pecunia* oblata vel data pro avertenda *delatione*; 9) *Inimicitia gravis* & capitalis adversus læsum; 10) *Variatio* rei in responsione summaria, interdum & *trepidatio* ac *hæsitatio*; 11) Denique si quis jam in *simili reus* atque *punitus* fuerit.

9. Sed vix ullum horum omni exceptione majus erit, præsertim si solum fuerit: Secus, si plura conspirent, ac sibi invicem adminiculentur, exceptionesque obstantes aliis indiciis elidantur.

10. Partes Inquisitionis specialis sunt: 1) *Citatio* Rei, & pro re nata, *Incarceratio*, vel *Persequutio* profugi per *litteras arrestatorias*,

torias, aut *citationem edictalem*; 2) *Examen* rei *articulatum*; 3) *Examen Testium articulatum*, *Reique* cum illis *Confrontatio*; 4) *Media* eruendi veritatem, nempe Juramentum *Purgatorium*, vel *Tortura*.

TIT. VI.

DE CITATIONE ET INCARCERATIONE, ITEMQUE SALVO CONDUCTU REI.

1.

CITATIO Rei vel *verbalis* est, vel *realis*: *Illa* in delictis levioribus sufficit, nisi Reus de fuga sit suspectus: *Hæc* requiritur, quoties Incarceratio Rei videtur necessaria.

2. Circa *Incarcerationem* suscipiendam & *qualitas* delicti, & *indicia* reum gravantia, & *persona* rei consideranda.

3. *Delictum* tale esse debet, ut pœna capitalis, vel corporalis, vel, pro re nata, saltem relegatio, locum habere possit: licet id nondum satis certum sit.

4. Si

4. Si vero certum ſit, ad hujuſmodi pœnam deveniri non poſſe, Incarceratio locum non habet: præſertim in perſonis honeſtioribus, nec de fuga ſuſpectis; ſecus in vilioribus, & vagabundis.

5. *Indicia*, quæ ad Inquiſitionem ſpecialem ſufficiunt, eadem & ad incarcerationem Rei, pro delicti & perſonæ qualitate, ſufficere poſſunt: Id quod prudenti Judicis, vel Collegii Juridici, arbitrio relinquitur.

6. A carcere immunem præſtat *Salvus conductus*, qui vel *generalis* eſt, *das gemeine*, vel *ſpecialis*, *das freye ſichere Geleite*.

7. *Ille* non niſi per triduum ad judicium veniendi, indeque recedendi: *hic* vero, præſtita ſufficienti cautione, ſub publico judicii ſigillo, plenam, durante inquiſitione, ſecuritatem tribuit, donec tortura, vel pœna corporalis dictetur.

8. Quodſi Reus abſens ſit & fugitivus, pro re nata, vel *litteris arreſtatoriis*

rite ac diligenter persequendus, vel *edictaliter* sub pœna *confessi* & *convicti*, citandus, vel processus *banni* adversus ipsum instituendus.

9. Si ita citatus Reus in termino haud compareat, pro *confesso* & *convicto* declaratur: ut tamen, postea apprehensus, non statim pœna, præsertim capitali, affici, sed saltem torturæ eo facilius subjici possit.

TIT. VII.

DE

EXAMINE REI ARTICULATO,

I.

Simulac Reus in Judicio præsens est, *Examen* ejus, sive interrogatio de delicto commisso, a Judice suscipitur, ut confessio ejus, si fieri queat, eliciatur.

2. Initium fit ab *Examine summario*, ita, ut, præmissa generali interrogatione de persona Rei, & causa citationis, Reus jubeatur factum criminis, cum omnibus circumstantiis, in una serie, ipse enarrare.

3. Se-

3. Sequitur deinde *Examen Rei ſollemne* ſive *Articulatum*, quod ſubſtantiam Inquiſitionis Specialis conſtituit, atque ita inſtituitur, ut Reus ad certos *articulos*, quos *Inquiſitionales* vocant, interrogatus a Judice, præſentibus Scabinis & Actuario, reſpondere teneatur.

4. *Articuli Inquiſitionales*, ex denunciatione, teſtium depoſitionibus, ac reſponſione Rei ſummaria, indiciisque inde emergentibus, per modum interrogatorium, formantur.

5. Sunt autem vel *Generales*, qui continent interogationes quaſdam de perſona Rei, ejuſque circumſtantiis: vel *Speciales*, qui ex ipſis facti circumſtantiis deſumuntur.

6. Accedunt interdum, facta jam Rei reſponſione, *Articuli additionales*, qui ex emergentibus novis indiciis formantur.

7. Debent autem Articuli eſſe pertinentes, perſpicui, &, quantum fieri poteſt, breves & rotundi, ad delicti qualitatem & circumſtantias, ex confeſſione Rei eliciendas accommodati.

8. Quocirca ſinguli Articuli non niſi unum factum ſpeciale, aut unam ejus circumſtantiam integram, niſi circumſtantiæ ſint connexæ, continere debent.

9. Sed nec ſpeciales facti, aut circumſtantiæ alicujus, qualitates, per modum ſuggeſtionis, articulo inſeri debent; niſi jam indicia ejus in Actis inſint: Attamen ſemper generalis interrogatio præcedere debet, & tunc ſpecialis interrogatio ſubjungi poteſt.

10. *Examen* ſuper Articulis fieri debet diſtincte, citra præcipitantiam, minas, aut impunitatis promiſſionem.

11. Viciſſim & *Reſponſio* Rei clara diſtincta & categorica eſſe debet.

12. Debet autem eadem a Reo in perſona oretenus fieri, ſine prævia communicatione Actorum, ſine juramento etiam: quam ſi detrectet, ea ſub pœna confeſſi & convicti, vel etiam torturæ, illi injungi poteſt.

13. Reſponſio Rei fideliter & accurate, retentis formalibus ejus verbis, neque etiam geſtibus notabilioribus neglectis,

glectis, a Notario consignanda, & post examen ei denuo prælegenda est.

14. Quodsi Reus crimen confiteatur, nihilque pro defensione sua allegare queat, sequitur *sententia* condemnatoria.

15. Si vero inficietur, *Probatio* a Judice suscipienda, quæ si per *Instrumenta* fiat, recognitio eorum a Reo exigitur; si per *Testes*, horum *Examen* itidem articulatum atque juratum, *Reique* cum illis *Confrontatio*, instituitur.

16. Utroque casu Reo primum *Defensio* conceditur, ac deinceps Acta ad Collegium Juridicum sententiæ ferendæ caussa, transmittuntur.

TIT. VIII.

DE EXAMINE TESTIUM ARTICULATO, ET CONFRONTATIONE.

1.

QUodsi Delictum per Testes probandum sit, *articuli testimoniales*, ex iis maxime, quæ a Reo negata sunt, in forma positionum vel interrogatoriorum, conficiendi sunt. 2.

2. Circa Articulos hos formandos idem, quod circa Inquisitionales, est observandum.

3. Sunt quoque iidem vel *generales*; qui ad personas Testium, spectant: vel *speciales*, qui ex circumstantiis delicti & indiciis desumuntur.

4. Testes requiruntur habiles, &, ad reum plene convincendum, omni exceptione majores, minimum duo.

5. Admittuntur tamen interdum & minus idonei, si cum atrocitate delicti difficultas probationis concurrat, & veritas aliter haberi non possit.

6. Iidem ad testimonium perhibendum rite sunt citandi, ita ut pro re nata cogi possint, ac deinde jurejurando obstringendi.

7. Circa examen testium, & depositiones eorum, idem, quod circa inquisitum, observandum.

8. Quodsi deinde Reus, praelectis Testium depositionibus, in negatione nihilominus persistat, *Confrontatio* ipsius cum testibus suscipienda, ita, ut hi deposi-

tiones

tiones potiores in præſentia illius repetant, reique reſponſiones & geſtus diligenter annotentur.

TIT. IX.

DE TORTURA EJUSQUE GRADIBUS,

I

Quodſi Reus adhuc in negando delicto perſeveret, Medium eruendi veritatem, *Tortura* nempe, vel *Purgatorium*, decernendum.

2. *TORTURA*, quæ & *Quæſtio* in jure vocatur, in latiori ſenſu eſt medium per *corporis dolores*, Reo intentatos, vel re ipſa inflictos, veritatem extorquendi: quamvis iſtud & fallax ſit, & periculorum, non tamen prorſus inutile cenſendum.

3. Dividitur ita accepta in foro SAX. in *Territionem*, & *Torturam* in ſpecie ita dictam: *Territio* vero iterum in *verbalem* & *realem*.

4. *Territio verbalis*, *die Vorſtellung des Scharffrichters*, eſt, ubi Reus in loco torturæ,

turæ, conſpectu carnificis, atque tormentorum inſtrumentis, territus, non tamen tactus & apprehenſus, de crimine commiſſo interrogatur.

5. *Territio realis*, quæ terrentibus tormentorum præludiis abſolvitur, tribus fere gradibus conſtat.

6. *Primus* eſt, ubi Inquiſito, a carnifice, denudato & ad ſcalam deducto, pollicum forcipes, *die Daumſtœcke*, quidem applicantur, ſed ſine conpreſſione: *Secundus*, ubi pollices, forcipibus applicatis comprimuntur.

7. *Tertius*, qui & *Funium initium*, *der Schnüren Anfang*, vocatur, ubi carnifici manus quidem rei ligare, non tamen arcte conſtringere licet.

8. *Tortura* in ſpecie ita dicta itidem tres habet gradus. *Primus* eſt, ubi carnifex manus inquiſiti ligatas arcte retro conſtringit; quem *die vœllige Schnüre* appellant.

9. *Secundus* gradus conſiſtit in expanſione membrorum inquiſiti, ſcalæ ſubjecti, cum applicatioue ocrearum hiſpani-

ni-

nicarum; dicitur *die Schærffe ziemlicher VVeise*.

10. *Tertius*, isque summus, sed minus usitatus, gradus est, ubi, præter expansionem membrorum, etiam alia tormenta, ut ignis, candentia lumina, & similia, adhibentur; *die Schærffe*.

TIT. X.

DE QUALITATE DELICTI ET INDICIIS AD TORTURAM REQUISITIS.

I.

Ut Tortura locum habeat, & qualitas *delicti*, ejusque probatio, & qualitas *personæ*, est respicienda.

2. *Delictum grave* sit oportet, ac tale, ut pœnam capitalem, vel saltem corporis afflictivam, mereatur.

3. Idem quoque vel per se, vel per indicia, satis sufficienterque debet esse probatum.

4. *Delictum* ipsum per se, ad effectum torturæ, minimum *semiplene*, veluti per unum testem, omni exceptione majorem,

de

torias, aut *citationem edictalem*; 2) *Examen* rei *articulatum*; 3) *Examen Testium articulatum*, *Reique* cum illis *Confrontatio*; 4) *Media* eruendi veritatem, nempe Juramentum *Purgatorium*, vel *Tortura*.

TIT. VI.

DE CITATIONE ET INCARCERATIONE, ITEMQUE SALVO CONDUCTU REI.

1.

CITATIO Rei vel *verbalis* est, vel *realis*: *Illa* in delictis levioribus sufficit, nisi Reus de fuga sit suspectus: *Hæc* requiritur, quoties Incarceratio Rei videtur necessaria.

2. Circa *Incarcerationem* suscipiendam & *qualitas* delicti, & *indicia* reum gravantia, & *persona* rei consideranda.

3. *Delictum* tale esse debet, ut pœna capitalis, vel corporalis, vel, pro re nata, saltem relegatio, locum habere possit: licet id nondum satis certum sit.

4. Si

4. Si vero certum ſit, ad hujuſmodi pœnam deveniri non poſſe, Incarceratio locum non habet: præſertim in perſonis honeſtioribus, nec de fuga ſuſpectis; ſecus in vilioribus, & vagabundis.

5. *Indicia*, quæ ad Inquiſitionem ſpecialem ſufficiunt, eadem & ad incarcerationem Rei, pro delicti & perſonæ qualitate, ſufficere poſſunt: Id quod prudenti Judicis, vel Collegii Juridici, arbitrio relinquitur.

6. A carcere immunem præſtat *Salvus conductus*, qui vel *generalis* eſt, *das gemeine*, vel *ſpecialis*, *das freye ſichere Geleite*.

7. *Ille* non niſi per triduum ad judicium veniendi, indeque recedendi: *hic* vero, præſtita ſufficienti cautione, ſub publico judicii ſigillo, plenam, durante inquiſitione, ſecuritatem tribuit, donec tortura, vel pœna corporalis dictetur.

8. Quodſi Reus abſens ſit & fugitivus, pro re nata, vel *litteris arreſtatoriis*

rite ac diligenter persequendus, vel *edictaliter* sub pœna *confessi* & *convicti*, citandus, vel processus *banni* adversus ipsum instituendus.

9. Si ita citatus Reus in termino haud compareat, pro *confesso* & *convicto* declaratur: ut tamen, postea apprehensus, non statim pœna, præsertim capitali, affici, sed saltem torturæ eo facilius subjici possit.

TIT. VII.

DE EXAMINE REI ARTICULATO.

I.

Simulac Reus in Judicio præsens est, *Examen* ejus, sive interrogatio de delicto commisso, a Judice suscipitur, ut confessio ejus, si fieri queat, eliciatur.

2. Initium fit ab *Examine summario*, ita, ut, præmissa generali interrogatione de persona Rei, & causa citationis, Reus jubeatur factum criminis, cum omnibus circumstantiis, in una serie, ipse enarrare.

3. Se-

3. Sequitur deinde *Examen Rei ſollemne* ſive *Articulatum*, quod ſubſtantiam Inquiſitionis Specialis conſtituit, atque ita inſtituitur, ut Reus ad certos *articulos*, quos *Inquiſitionales* vocant, interrogatus a Judice, præſentibus Scabinis & Actuario, reſpondere teneatur.

4. *Articuli Inquiſitionales*, ex denunciatione, teſtium depoſitionibus, ac reſponſione Rei ſummaria, indiciisque inde emergentibus, per modum interrogatorium, formantur.

5. Sunt autem vel *Generales*, qui continent interogationes quaſdam de perſona Rei, ejuſque circumſtantiis: vel *Speciales*, qui ex ipſis facti circumſtantiis deſumuntur.

6. Accedunt interdum, facta jam Rei reſponſione, *Articuli additionales*, qui ex emergentibus novis indiciis formantur.

7. Debent autem Articuli eſſe pertinentes, perſpicui, &, quantum fieri poteſt, breves & rotundi, ad delicti qualitatem & circumſtantias, ex confeſſione Rei eliciendas accommodati.

8. Quocirca ſinguli Articuli non niſi unum factum ſpeciale, aut unam ejus circumſtantiam integram, niſi circumſtantiæ ſint connexæ, continere debent.

9. Sed nec ſpeciales facti, aut circumſtantiæ alicujus, qualitates, per modum ſuggeſtionis, articulo inſeri debent; niſi jam indicia ejus in Actis inſint: Attamen ſemper generalis interrogatio præcedere debet, & tunc ſpecialis interrogatio ſubjungi poteſt.

10. *Examen* ſuper Articulis fieri debet diſtincte, citra præcipitantiam, minas, aut impunitatis promiſſionem.

11. Viciſſim & *Reſponſio* Rei clara diſtincta & categorica eſſe debet.

12. Debet autem eadem a Reo in perſona oretenus fieri, ſine prævia communicatione Actorum, ſine juramento etiam: quam ſi detrectet, ea ſub pœna confeſſi & convicti, vel etiam torturæ, illi injungi poteſt.

13. Reſponſio Rei fideliter & accurate, retentis formalibus ejus verbis, neque etiam geſtibus notabilioribus neglectis,

glectis, a Notario consignanda, & post examen ei denuo prælegenda est.

14. Quodsi Reus crimen confiteatur, nihilque pro defensione sua allegare queat, sequitur *sententia* condemnatoria.

15. Si vero inficietur, *Probatio* a Judice suscipienda, quæ si per *Instrumenta* fiat, recognitio eorum a Reo exigitur; si per *Testes*, horum *Examen* itidem articulatum atque juratum, *Reique* cum illis *Confrontatio*, instituitur.

16. Utroque casu Reo primum *Defensio* conceditur, ac deinceps Acta ad Collegium Juridicum sententiæ ferendæ causa, transmittuntur.

TIT. VIII.

DE EXAMINE TESTIUM ARTICULATO, ET CONFRONTATIONE.

1.

Quodsi Delictum per Testes probandum sit, *articuli testimoniales*, ex iis maxime, quæ a Reo negata sunt, in forma positionum vel interrogatoriorum, conficiendi sunt. 2.

2. Circa Articulos hos formandos idem, quod circa Inquisitionales, est observandum.

3. Sunt quoque iidem vel *generales*; qui ad personas Testium, spectant: vel *speciales*, qui ex circumstantiis delicti & indiciis desumuntur.

4. Testes requiruntur habiles, &, ad reum plene convincendum, omni exceptione majores, minimum duo.

5. Admittuntur tamen interdum & minus idonei, si cum atrocitate delicti difficultas probationis concurrat, & veritas aliter haberi non possit.

6. Iidem ad testimonium perhibendum rite sunt citandi, ita ut pro re nata cogi possint, ac deinde jurejurando obstringendi.

7. Circa examen testium, & depositiones eorum, idem, quod circa inquisitum, observandum.

8. Quodsi deinde Reus, prælectis Testium depositionibus, in negatione nihilominus persistat, *Confrontatio* ipsius cum testibus suscipienda, ita, ut hi deposi-

tiones

tiones potiores in præſentia illius repetant, reique reſponſiones & geſtus diligenter annotentur.

TIT. IX.

DE TORTURA EJUSQUE GRADIBUS,

I

Quodſi Reus adhuc in negando delicto perſeveret, Medium eruendi veritatem, *Tortura* nempe, vel *Purgatorium*, decernendum.

2. *TORTURA*, quæ & *Quæſtio* in jure vocatur, in latiori ſenſu eſt medium per *corporis dolores*, Reo intentatos, vel re ipſa inflictos, veritatem extorquendi: quamvis iſtud & fallax ſit, & periculorum, non tamen prorſus inutile cenſendum.

3. Dividitur ita accepta in foro SAX. in *Territionem*, & *Torturam* in ſpecie ita dictam: *Territio* vero iterum in *verbalem* & *realem*.

4. *Territio verbalis*, *die Vorſtellung des Scharffrichters*, eſt, ubi Reus in loco tor-

turæ,

turæ, conſpectu carnificis, atque tormentorum inſtrumentis, territus, non tamen tactus & apprehenſus, de crimine commiſſo interrogatur.

5. *Territio realis*, quæ terrentibus tormentorum præludiis abſolvitur, tribus fere gradibus conſtat.

6. *Primus* eſt, ubi Inquiſito, a carnifice, denudato & ad ſcalam deducto, pollicum forcipes, *die Daumſtœcke*, quidem applicantur, ſed ſine conpreſſione: *Secundus*, ubi pollices, forcipibus applicatis comprimuntur.

7. *Tertius*, qui & *Funium initium*, *der Schnüren Anfang*, vocatur, ubi carnifici manus quidem rei ligare, non tamen arcte conſtringere licet.

8. *Tortura* in ſpecie ita dicta itidem tres habet gradus. *Primus* eſt, ubi carnifex manus inquiſiti ligatas arcte retro conſtringit; quem *die vœllige Schnüre* appellant.

9. *Secundus* gradus conſiſtit in expanſione membrorum inquiſiti, ſcalæ ſubjecti, cum applicatioue ocrearum hiſpani-

nicarum; dicitur *die Schærffe ziemlicher VVeise*.

10. *Tertius*, isque summus, sed minus usitatus, gradus est, ubi, præter expansionem membrorum, etiam alia tormenta, ut ignis, candentia lumina, & similia, adhibentur; *die Schærffe*.

TIT. X.

DE QUALITATE DELICTI ET INDICIIS AD TORTURAM REQUISITIS.

I.

Ut Tortura locum habeat, & qualitas *delicti*, ejusque probatio, & qualitas *personæ*, est respicienda.

2. *Delictum grave* sit oportet, ac tale, ut pœnam capitalem, vel saltem corporis afflictivam, mereatur.

3. Idem quoque vel per se, vel per indicia, satis sufficienterque debet esse probatum.

4. *Delictum* ipsum *per se*, ad effectum torturæ, minimum *semiplene*, veluti per unum testem, omni exceptione majorem,

de

de actu ipso & consummatione delicti, immediate ex proprio sensu, deponentem, probatum esse debet.

5. Quodsi delictum ipsum ita probari nequeat, saltem sufficientia ejus *Indicia*, eaque itidem satis probata, requiruntur.

6. Indicia ad torturam sufficientia vel *certa* sunt & *indubitata*, vel saltem *verosimilia* sive *probabilia*.

7. Ex *certis* ac *indubitatis* indiciis, quæ scilicet necessarium cum delicti perpetratione nexum habent, unum quoque per se ad torturam sufficere potest.

O. Cr. a. 29.

8. Sed Indicia *verosimilia* plura concurrere debent, nisi forte sint *proxima*, & delicto commisso *propria*, eaque plene probata.

9. Omnia vero Indicia, qualiacunque fuerint, ut ad torturam sufficiant, *plene*, per duos nempe testes, vel instrumentum, nullo visibili vitio laborans, ac plene recognitum, *probari* debent.

10.

10. Interdum tamen ut unus, si sit omni exceptione major, ac de actu proximo, ex sensu proprio deponat, sufficere creditur.

11. Debent etiam indicia tam *firma* esse ac certa, ut a Reo per excepitones & conrarias probationes *elidi* nequeant.

12. Deniqne non prius ad torturam deveniendum, quam ubi delictum alia ratione probari, & reus convinci, aut confessio ejus adhuc necessaria elici, nequit.

13. Ceterum pro diversa delicti gravitate & atrocitate, atque majori vel minori indiciorum certitudine, diversus torturæ gradus decernitur.

14. Sed & personæ ratio, circa torturam, habenda; cum nonnullæ dentur, quæ vel ob defectum judicii, vel ob debilitatem aliumve defectum corporis, vel periculum vitæ propriæ aut alienæ, vel ob singularem dignitatem, torqueri prohibentur.

TIT.

TIT. XI.

DE EXECUTIONE TORTURAE.

I.

Postquam *Tortura* per sententiam dictata est, nec per defensionem a Reo averti potuit, Judicis est eam legitime & caute *executioni* mandare.

2. Ante quam vero hoc fiat, Reus de ea, sine mentione tamen gradus, certior reddendus, atque ut crimen sponte confiteatur, admonendus est.

3. Quodsi Reus in negatione delicti adhuc persistat, ad executionem torturæ proceditur, ita, ut *Carnifici sententia*, qua tortura decreta est, prius aperiatur, ac deinde *Reus* præfinito tempore ad *locum torturæ* ducatur.

4. Hic *actus torturæ*, in præsentia Judicis, duobus minimum Scabinis, & Actuario, stipati, eodemque jubente ac dirigente, *actus torturæ* suscipitur, & per *Carnificem*, secundum modum & gradum in sententia definitum, executioni datur. 5. In

5. In actu torturæ Reus generaliter *interrogandus* eſt, an velit confiteri, nec ne?

6. Si confiteri renuat, actus uſque ad gradum ſententia dictitatum, non ulterius, continuandus, nec, niſi novis emergentibus indiciis, prævia ſententia, repetendus eſt.

7. *Si confeſſionem* promittat, tormenta interim ſunt remittenda, Reuſque ſecundum interrogatoria, per ſententiam definita, examinandus.

8. Quodſi jam Reus delictum, ejuſque circumſtantia, in interrogatoriis contentas, confiteatur, ulterior torturæ actus ceſſat.

9. His ita peractis, interjecto bidui vel tridui intervallo, Reus extra locum torturæ denuo examinandus, ut *confeſſionem* coram carnifice factam *ratihabeat*: quo facto, condemnationi locus erit.

10. Quodſi ratihabere nolit, ſed revocet, quæ antea confeſſus erat, torturæ denuo, & in delictis atrociſſimis, etiam

tertia vice, sed non ulterius, subjiciendus est.

11. Quodsi vero torturam, nihil confessus, sustinuit, eoque suspicionem delicti admissi purgavit, absolvitur.

12. Ceterum & hic omnia & singula, vel ante torturam, vel in tortura, vel post torturam, circa Reum, vel a Judice, vel a Carnifice, acta, cumprimis responsa Rei, nec gestibus neglectis, diligentissime ab Actuario annotanda sunt.

13. Tandem, concessa Reo Defensione, Acta transmittuntur, atque sententia petitur.

TIT. XII.

DE JURAMENTO PURGATORIO.

I.

PURGATORIUM Juramentum h. l. est quo Reus, Judice deferente, a suspicione criminis imputati se purgat.

2. Obtinet hoc, quoties Reus criminis commissi quidem suspectus est, ita

ta-

tamen, ut tortura non habeat locum.

3. Id quod contingit, 1) si *delicti* deficiat *gravitas*, talis scilicet, ut pœnam corporis afflictivam non mereatur.

4. 2) Si *sufficientia* deficiant *indicia*; veluti, si sint remota & incerta; vel non satis probata, vel denique per exceptiones, aut probationes contrarias elisa.

5. 3) Si *persona* talis sit, ut ob certam qualitatem, torqueri non possit.

6. Interdum quoque, loco Purgatorii, Territio verbalis adhibetur, si scilicet Reus, propter metum perjurii, aut aliam qualitatem, ad istud admitti non possit.

7. Ceterum judex in dubio pronior esse debet ad purgatorium, quam ad torturam, imo & pro re nata, ad absolvendum potius, quam ad alterum horum remediorum decernendum.

8. Purgatorium dictitatum, si Reus per defensionem istud avertere nequeat, prævia admonitione de vitando prejurio, secundum formulam in sententia præscriptam, ritu consueto, a Reo præstandum est.

9. Quodsi jurare nequeat, pro *confesso* habendus est, atque in pœnam promeritam condemnandus.

10. Si vero *juraverit*, ita, ut nullum factum pœna dignum remaneat, a pœna pariter ac expensis *absolvendus* est: quamvis in SAXONICIS foris utroque casu in has nihilominus condemnetur.

TIT. XIII.

DE DEFENSIONE REI.

I.

Considerati sunt Actus Processus Inquisitorii, quibus *Judex* potissimum inquirendo adversus Reum procedere solet: Sequuntur jam Actus, quibus *Reus* potissimum Judicii, adversus se procedenti obviam ire, atque actus, in sui præjudicium vergentes, declinare conatur; quales uno *Defensionis* nomine veniunt.

2. *DEFENSIO* igitur est *declinatio actus judicialis*, in *præjudicium Rei* vergentis, ab eodem, *allegatis causis*, pro se militantibus, suscepta.

3.

3. Diversa hinc est *Defensio*, pro diversitate actuum judicialium quos Reus avertere aut declinare conatur: Nimirum alia datur *Defensio* pro *avertenda Inquisitione*, aut *Incarceratione*; alia pro declinanda *Tortura*, vel *Purgatorio* declinando; alia pro declinanda vel mitiganda *Pœna*.

4. Prima, *Præparatoria*: ulterior, post responsionem ad articulos suscepta, *Principalis*, *die Haupt-Defension*, nonnullis appellatur.

5. Universim ea triplici ratione fieri potest: vel enim modus procedendi, seu formalia processus; vel facti veritas, indicia, contra reum militantia, elidendo; vel facti qualitas, scilicet delictum illud esse, aut tam grave esse, negando, impugnatur.

6. Concedenda autem Defensio, ex naturali æquitatis ratione, cuilibet Reo; adversus actus, qui insigne præjudicium, vel famæ, vel corpori, vel etiam vitæ, Rei inferre possunt.

7. Hinc uti ipsius *Judicis* est, pro defensione etiam Rei laborare, ita ab eodem & *Advocatus* Reo petenti permittendus, vel ex officio constituendus est, qui partes *Defensoris* suscipiat.

8. Simul autem Reo, vel ejus Defensori, certum quidem *spatium* exhibendæ Defensionis, sub prejudicio etiam, præfigi, ad supplicationem tamen ejusdem, ulterior quoque dilatio concedi solet.

9. *Officium* Defensoris, vel circa Actus Defensionis *præparatorios*, vel circa *principales*, versatur.

10. Inter *præparatorios*, primum & præcipuum est, ut de ipso facto, omnibusque circumstantiis, quæ Reo obesse vel prodesse possunt, sufficiente se informet.

11. Hunc in finem cum admissionem ad colloquium cum Reo, tum inspectionem Actorum, sibi expetat.

12. Colloquium cum Reo semper quidem Defensori permittitur, non tamen facile remotis arbitris: quod tamen inter-

interdum quoque admittendum, defensionis ratio suadet.

13. Neque etiam inspectio Actorum ei, concessa defensione, recte denegatur; licet Reus ad articulos nondum responderit: quamvis praxis quorundam Dicasteriorum sit contraria.

14. Acta, Defensori concessa in loco judicii inspicienda, & quæ sibi ad finem Defensionis obtinendum usui esse possunt, ex iis excerpenda sunt.

15. *Articuli* quoque *defensionales*, ad removenda indicia, contra reum militantia directi, super quibus testes pro defensione examinantur, vel *Rotuli* testium, ab alio Judice examinatorum, exhibendi.

16. Testes autem pro defensione admittuntur, quicunque, etiam suspecti & inhabiles.

17. Actus *principales* sunt *Elaboratio* & *Exhibitio* Defensionis.

18. *Elaborationis* requisita sunt vel *voluntaria*, vel *necessaria*.

19. Ad *voluntaria* pertinent: 1) *Rubrica* Defensionis, 2) Honorifica *Judicis* compellatio, & 3) *Gratiarum actio* pro concessa defensione.

20. *Necessaria* sunt: 1) *Facti* reo imputati, cum omnibus circumstantiis, nec non quomodo & quousque hactenus adversus reum sit processum, fidelis ex Actis *enarratio*, 2) *Nullitatis*, si qua circa formalia judicii aut processus occurrat, allegatio.

21. 3) *Indiciorum*, quæ Reum onerare videntur, recensio; 4) Eorundem *elisio* seu *refutatio*: Utraque vel conjunctim fieri potest, ita, ut cuilibet indicio recensito statim elisio subjungatur; vel seorsim, ita, ut primo omnia indicia in una serie enumerentur, ac deinde singula in eadem serie examinentur ac elidantur.

22. Eliduntur autem Indicia, dum vel *veritas* eorum ac *certitudo* negatur, contra personas & dicta testium excipiendo; vel *insufficientia* ac *levitas* eorum, ad gravandum reum ostenditur;

vel

vel *contraria indicia*, delicti exclusiva, per probationes vel præsumtiones contrarias aut fortiores, iis opponantur.

23. Quo & spectat *vitæ ante actæ* integritas honestas & probitas, per testimonia fide digna probata: quæ vel ab initio indiciorum refutationi potest præmitti, vel ultimo loco subjungi.

24. Denique 5) *Petitum* congruum, ac intentioni defensionis accommodatum, his subnectendum.

25. In Defensione pro *avertenda* Inquisitione speciatim deducendum, vel *corpus delicti* esse *incertum*, vel *indicia* ad gravandum reum insufficientia, vel *delictum* ipsum non tam grave, ut inquisitionem mereatur.

26. Pro avertenda *Incarceratione* insuper alleganda personæ qualitas, quod scilicet ea de fuga non sit suspecta.

27. Pro avertenda *Tortura* itidem urgendum, quod vel tanta non sit *corporis delicti* certitudo, vel *indicia* non tam certa sint ac urgentia, vel *ipsum* delictum non tantæ gravitatis, vel præte-

rea,

rea, non ea *persona* qualitas aut conditio, ut tortura locum habere queat.

28. Pro declinando *Purgatorio* omnia ea quæ pro avertenda inquisitione, ac insuper personæ qualitas, ob quam reus ad juramentum admitti nequeat, allegand a.

29. Pro declinanda denique *Pœna*, quæ, post Confessionem factam, metuitur, vel per sententiam dictata est, dispiciendum, an Confessio sit *pura*, an vero *qualificata*.

30. Si confessioni *qualitas*, aut *circumstantia* delicti, vel pœnæ, exclusiva, per modum exceptionis sit adjecta, hæc ante omnia a Defensore probanda.

31. Quodsi *pura* fuerit, atque *ultronea*, videndum, utrum aliis indiciis stipata, an vero nuda sit; & hoc casu, an forte a melancholico & mentis non satis compote, vel tædio vitæ, sit facta: quippe quibus casibus reo non nocebit.

32. Si *non ultronea*; videndum, utrum forte illegitimis modis extorta sit, an etiam post torturam rite pleneque rati-

tihabita; atque adeo nullitatis vitium, si quo laboret, demonstrandum.

33. Quodsi vero confessio recte se habeat, adeoque pœna penitus averti nequeat: pro *mitiganda* saltem pœna laborandum.

34. Atque sic causæ mitigationis vel a persona delinquentis, vel a delicti qualitate desumtæ, evolvendæ; & quæ ad præsentis facti circumstantias quadrare videntur, deducendæ sunt.

35. Elaborata Defensio Judici tempestive *exhibenda*, atque, juncta Epistola, ed eum directa, ut Actis inseratur, petendum.

TIT. XIV.

DE SENTENTIA ET EXPENSIS.

I.

POst Examen Rei summarium, aut articulatum, vel Defensionem, si qua sit exhibita, sequitur *SENTENTIA*: quæ regulariter a Collegio JCtorum, transmissis Actis, expetenda.

2. Sen-

2. Sententia eſt vel *Interlocutoria*, quæ modum procedendi, circa inquiſitionem delicti, præſcribit: vel *Definitiva*; eaque iterum vel *Abſolutoria* vel *Condemnatoria*.

3. *Illa* Reum ab inquiſitione abſolvit, idque vel pure, ſi ſcilicet torturam ſuſtinuerit, aut purgatorium præſtituerit: vel ſaltem ob defectum ſufficientium indiciorum.

4. *Priori* caſu, & quidem ſi torturam ſuſtinuerit reus, etiam ab *expenſis* abſolvitur; ſed præſtito purgatorio, in SAX. quidem expenſarum refuſio indiſtincte injungitur, extra eam vero, tum demum ſi factum aliquod culpabile remaneat.

5. Poſteriori caſu, abſolutio pro re nata vel abſque expenſis fit, idque plerumque; vel cum expenſis, ſi ſcilicet non prorſus temere ſuſcepta videatur inquiſitio.

6. Semper vero exceptæ ſunt impenſæ defenſionis, quippe quæ a reo ipſo quocunque caſu ſunt ſolvendæ.

7.

7. Hæc, abſoluta inquiſitione, *pœnam* dictitat, reo infligendam: quæ pro diverſitate pœnarum diverſis utitur formulis, uſu receptis.

8. Circa expenſas hoc caſu olim in foro SAX. diſtinctio obtinuit, an pœna corporis afflictiva, aut capitalis dictitata fuerit, nec ne.

9. *Priori* caſu impenſæ Defenſionis tantum a Reo, judiciales vero a Magiſtratu; poſteriori, utræque a Reo, fuerunt ferendæ. Hodie vero in SAXON. ELECT. omnes indiſtincte a Reo ſolvendæ ſunt.

10. Quod ſi autem Reus nihil habeat in bonis, ex fiſco ſumtus ſuppeditandi ſunt.

11. Sententia ubi impetrata eſt, Reus de tenore illius certior reddendus eſt: ita tamen, ut in interlocutoria gradus torturæ ei celetur; in definitiva vero, pœna capitalis tantum in generalioribus terminis. verbiſque ad erigendum reum accommodatis, a Judice eidem denunciari ſoleat.

12. Quodsi jam Reus in ea acquiescere, nec sese contra eam amplius defendere velit, ad Executionem Pœnæ procedit ur.

TIT. XV.

DE EXECUTIONE POENAE.

1.

EXECUTIO pœnæ non quidem temere differenda, spatium tamen aliquod temporis Reum concedendum, in casu quidem, fustigationis aut relegationis dictatæ, ut de rebus suis disponere, in casu vero pœnæ capitalis irrogandæ, ut ad mortem sese præparare possit.

2. Et Fustigatio quidem ac relegatio, præstita urpheda, citra ulteriores ambages, statim executioni mandatur. Sed pœna capitalis non, nisi prævio solemni judicio celebrato, infligitur.

3. Antequam hoc fiat, Reus capitis damnatus, ac de hac pœna certior redditus, in hypocausto quodam tollerabilius

lius cuſtodiri, atque Miniſtris Eccleſiæ, ut ad mortem præparetur, committi, aliique cognati, aut amici, ad eum admitti ſolent.

4. Ubi dies, executioni illuxit, ſigno dato, a *Judice*, & *Aſſeſſoribus* congregatis. *Solemne Judicium Criminale* in loco publico, ubi illi menſæ adſident, *Accuſator* vero, *Carnifex* & *Apparitor* adſtant, conſtituitur.

5. Hic *Judex*, baculum tenens, *primum* Aſſeſſorem, *an judicium rite conſtitutum & formatum ſit*, ſolemni formula interrogat.

6. Deinde Judex *ſecundum* Aſſeſſorem *de tempore judicii* fovendi interrogat: cui hic, tempus eſſe, reſpondet.

6. Porro Judex *tertium* Aſſeſſorem de *modo fovendi Judicium* interrogat: cui hic, juſtum eſſe præcipiendum, injuſtum, ac tumultum, prohibendum, nec ſine venia loquendi licentiam cuiquam permittendam reſpondet.

8. Mox Judex, judicium criminale, *prima ſecunda* & *tertia* vice, *ſecundum*

Jus

jus & justitiam, ita uti dictum, *se fovere*, solemni formula declarat.

9. Tum, Judex e *quarto* Assessore quærit, *num recte a se judicium sit constitutum*: cui hic, affirmando, respondet.

10. Judicium sic rite costitutum, Apparitor, vel is, cui hoc demandatum, est, publice proclamat, & homines ad accusandum provocat.

11. Comparet deinde *Accusator*, atque accedendi, loquendi & accusandi veniam, &, hac impetrata, *triplicem accusationem* suam una vice proponendi, petit.

12. Concessa & hac, Reus ab eo solemni ritu, & quidem nonnullis in locis, prævio clamore, & armata manu, criminis commissi accusatur, factum oretenus proponit, & petit, ut pœna promerita afficiatur.

13. Hoc facto, Accusator Judicem interrogat, *num rite perfecerit accusationem* suam: antequam ei respondeat, idem ex Scabino *quinto* quærit, quod postquam Scabinus affirmavit, Judex idem accusatori respondet.

14. Post

14. Post accusationem *Reus* adducitur, &c, an crimen, cujus accusatus est, commiserit, jussu Judicis, ab Actuario interrogatur.

15. Hic si affirmative respondeat, tenor sententiæ, qua pœna dictitatur, eidem prælegitur.

16. *Sententia* condemnatoria *publicata*, Judex *baculum frangit*, & *Exequutionem Carnifici* demandat; qui tamen antea *salvum conductum* sibi a Judice expetit, ac facile impetrat.

17. His peractis, *Reus* ad locum supplicii deducitur, atque *pœna* dictitata eidem *infligtur*.

18. Antequam vero, Judex cum Scabinis surgat, apparitorem, alios quoque ad accusandum provocare, jubet: denique Judicium a Judice, prævia solemni interrogatione, finitur ac dissolvitur.

LEGUM DELECTUS,

Quæ Conclusiones Criminales respiciunt,

AD USUM SCHOLAE, ET FORI.

LEGUM DELECTUS,

Quæ Conclusiones Criminales respiciunt

AD USUM SCHOLAE, ET FORI.

Collegit D. A. D. ex Libris Digestorum, & Codicis.

TIT. I.

DE PRIVATIS DELICTIS.

I.

Civilis constitutio est *pœnalibus actionibus hæredes non teneri, nec cæteros quidem successores*, idcirco nec furti conveniri possunt. *L.* 1. *&* *L.* 26. *de obl.*, *& act.*

2. Hæredem autem furti agere posse æque constat: executio enim quorumdam delictorum hæredibus data est. Ita & Legis Aquiliæ actionem hæres habet. *L.* 1. §. 1.

3. Numquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam. Qui igitur hominem subripuit, & occidit: quia subripuit furti, quia occidit, Aquilia tenetur: neque altera harum Actionum alteram consumit. Idem dicendum, si rapuit, & occidit. Nam & vi bonorum raptorum, & Aquilia tenebitur. *L.* 2. *d. L.* §. 1. *&* 2.

TIT. II.

DE FURTIS.

1.

Sola cogitatio furti faciendi non facit furem. *L.* 1. §. 1.

2. Furtum est contrectatio rei fraudolosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. *L.* 1. §. 3.

3. Furtorum genera duo sunt, manifestum, & nec manifestum. *L.* 2.

4. Fur

4. Fur manifeſtus eſt, qui deprehenditur cum furto. *L.* 3.

5. Cujus interfuit ſubripi, is actionem furti habet. Tum is, cujus intereſt, furti habet actionem, ſi ex honeſta cauſa intereſt. Itaque Fullo, qui curanda, polienda veſtimenta accepit, ſemper agit. Præſtare enim ſemper cuſtodiam debet. *L.* 10. 11. 12.

6. Sed, etſi res pignori data ſit, creditori quoque damus furti actionem, quamvis in bonis ejus res non ſit. Quinimo non ſolum adverſus extraneum dabimus, verum & contra ipſum quoque Dominum furti actionem. *L.* 12. §. 2.

7. Præterea habent furti actionem Coloni, quamvis Domini non ſint, quia intereſt eorum. *L.* 14. § 2.

8. Omnibus, quorum periculo res alienæ ſunt, veluti commodati, item locati, pignoriſve accepti, ſi hæ ſubreptæ ſunt, omnibus, inquam, furti actiones competunt. *d. L.* 14. §. 12.

9. Si duo, pluresve unum tignum furati ſint, quod ſinguli tollere non potuerint, dicendum eſt, omnes eos furti

in solidum teneri, quamvis id contrectare, nec tollere solus posset: & ita utimur. Neque enim potest dici pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos: & sic fiet singulos furti teneri. *L.* 21. §. 9. *L.* 1. *in fin. ff.* si is, qui *test. lib. esse juss.*, & *L.* 6. *ff. arb. furt. caes.*

10. Impubes furtum facere potest, si jam doli capax sit. *L.* 23.

11. Qui tabulas, vel cautiones amovet, furti tenetur non tantum pretii ipsarum tabularum nomine, verum ejus, quod interfuit, quod ad aestimationem refertur ejus summae, quae in his tabulis continetur: scilicet, si tanti interfuit. *L.* 27.

12. Qui jumenta sibi commodata longius duxerit, aliove modo invito Domino usus sit, furtum facit. *L.* 41.

13. Falsus creditor (hoc est, qui se simulat creditorem) si quid acceperit, furtum facit. *L.* 44.

14. Si quis nihil in persona sua mentitus est, sed verbis fraudem adhibuit; fallax est magis, quam furtum facit. Ut, pu-

puta, si dixerit, se locupletem, si in mercem se collocaturum, quod accepit, si fidejussores idoneos daturum, vel pecuniam confestim se soluturum. Nam ex his omnibus magis decepit, quam furtum fecit, & ideo furti non tenetur. Sed quia dolo fecit: nisi, sit alia adversus eum actio, de dolo dabitur. *L.* 44. §. 3.

15. Qui alienum quid jacens in Terra lucri faciendi causa, sustulit, furti obstringitur, sive scit, cujus sit, sive ignoravit. Nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit, ignoret. *L.* 44. §. 4.

16. Solent plerique etiam hoc facere, ut libellum proponant continentem invenisse se, & redditurum ei, qui desideraverit. Hi ergo ostendunt, non furandi animo se fecisse. *L.* 44. §. 8. *in fin.*

17. Inter omnes constat, etiamsi extincta sit res furtiva, attamen furti remanere actionem adversus furem. *L.* 47.

18.

18. Recte dictum est, qui putavit, se Domini voluntate rem attingere; non esse furem. Quid enim dolo facit, qui putavit Dominum consensurum fuisse sive falso id, sive vere putet? Is ergo solus fur est, qui contrectavit, quod invito Domino se facere scivit. *L.* 47. §. 7. *in fin.*

19. Qui furem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est. Cum multum intersit, furem quis celet; an non indicet. Qui novit, furti non tenetur: qui celat, hoc ipso tenetur. *L.* 49. §. 1.

20. Recte Pedius ait, sicut nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium, vel opem ferre sine dolo malo posse. Consilium autem dare videtur, qui persuadet, & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum: opem fert, qui ministerium, atque adjutorium ad subripiendas res præbet. *L.* 51. §. 3.

21. Si quis uxori res mariti subtrahenti opem, consilium accomodaverit, furti tenebitur. *L.* 53. 22.

22. Si pignore creditor utatur, furti tenetur. *L.* 56.

23. Eum, qui quid accepit utendum, si ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est. Ex quo satis apparet, furtum fieri, &, si quis usum alienæ rei in suum lucrum convertat; nec movere quem debet, quasi is nihil lucri sui gratia facit. *Species* enim *lucri est*, *ex alieno largiri*, & beneficii debitorem sibi adquirere. Unde, & is furti tenetur, qui ideo rem amovet, ut eam alii donet. *L.* 56. §. 1.

24. Qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucri faceret, tametsi mutato consilio, id Domino postea reddidit, fur est: nemo enim tali peccato penitentia sua nocens esse desiit. *L.* 67. *L.* 5. *ff.* vi bon: *rapt.*

25. Qui re sibi commodata, vel apud se deposita usus est, aliter atque accepit: si existimavit, se non invito Domino id facere, furti non tenebitur. *L.* 78.

26. Rem inſpiciendam quis dedit: ſi periculum ſpectet ad eum, qui accepit, is furti agere poteſt. *L.* 70.

TIT. V.

FURTI ADVERSUS NAUTAS, CAUPONES, STABULARIOS.

I.

In eos, qui Naves, Cauponas, Stabula exercent, ſi quid a quoquam eorum, quoſquaſve ibi habebunt, furtum factum eſſe dicetur, judicium datur: ſive furtum ope, & conſilio exercitoris factum ſit, ſive eorum cujus, qui in ea Navi navigandi cauſa eſſet. Navigandi autem cauſa accipere debemus eos qui adhibentur, ut Navis naviget, hoc eſt nautas. *L. un.* §. 1.

2. Caupo præſtat factum eorum qui in ea Caupona ejus Cauponæ exercendæ cauſa ibi ſunt: item eorum qui habitandi cauſa ibi ſunt. Viatorum autem factum non præſtat. Namque viatorem ſibi eligere Caupo, vel Stabularius

rius non videtur. Nec repellere poteſt iter agentes: inhabitatores vero perpetuos ipſe quodamodo eligit, qui non rejecit, quorum factum oportet præſtare. *L. un. §. ult.*

3. In Navi vectorum factum non præſtatur. *L. un. §. ult. in fin.*

TIT. VI.

SI FAMILIA FURTUM FECISSE DICATUR.

1.

Is accipitur ſcire, qui ſcit, & potuit prohibere. *L. 1. §. 1.*

2. Si familia communis ſciente altero furtum fecerit, omnium nomine cum eo, qui ſcit, furti agi poterit. *L. 5.*

TIT. VII.

ARBORUM FURTIM CAESARUM.

1.

Sciendum eſt, eos qui arbores, & maxime vites cæciderint, etiam tanquam latrones puniri. *L. 2.* 2.

2. Si plures eamdem arborem furtim cæciderint, cum singulis in solidum agetur. *L.* 6.

3. Si arbor in vicini fundum radices porrexerit, recidere eas vicino non licebit: agere autem licebit, non esse ei jus, sicuti Tignum, aut protectum, immissum habere. *L.* 6. §. 2.

4. Si radicibus vicini arbor alatur, tamen ejus est in cujus Fundo origo ejus fuerit. *L.* 6. *in fin.*

TIT. VIII.

DE VI BONORUM RAPTORUM, ET DE TURBA.

I.

Prætor ait, *si cui dolo malo hominibus coactis damni quid factum esse dicatur, sive cujus bona rapta esse dicentur, in eum qui id fecisse dicetur, judicium dabo.* *L.* 2.

2. Res obligatas sibi creditorem vi rapientem, non rem licitam facere, sed crimen committere convenit. *L.* 3. *C. eod.*

eod. vid. inf. ad Leg. Jul. de vi priv. L. 7.

TIT. IX.

DE INCENDIO, RUINA, NAUFRAGIO, RATE, NAVE EXPUGNATA.

I.

In eum judicium datur, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata quid rapuisse, recepisse dolo malo, damnive quid in rebus dedisse dicetur. *L. 1. ff. h. t. L. 1. ad L. Jul. de vi priv.*

2. Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis suprascriptis tenetur: quia receptores non minus delinqunt, quam aggressores. *L.* 3. §. 3.

3. Quod ait Prætor de damno dato, ita demum locum habet, si dolo malo damnum datum sit, nam si dolus malus absit, cessat delictum; Quemadmodum ergo procedit, quod Labeo scribit, si defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipaverim: & meo nomine,

ne, & familiæ judicium in me dandum? cum enim defendendarum mearum ædium causa fecerim, utique dolo careo. Puto igitur, non esse verum quod Labeo scribit. An tamen *L. Aquil.* agi cum hoc possit? Et non puto agendum. Nec enim injuria hoc fecit qui se tueri voluit, cum alias non posset. Et ita Celsus scribit. *L.* 3. §. 7.

4. Plurimum interest, peritura collegerint (qui diripuisse aliqua ex naufragio probant) an quæ servari possint, flagitiose invaserint *L.*4.§.1. *Et omnino, ut in ceteris, ita & in hujusmodi causis ex personarum conditione, & rerum qualitate, & diligenter pœnæ sunt æstimandæ, ne quid aut durius aut remissius constituatur, quam causa postulabit. d. §. in fin.*

5. Ratis vi fluminis in agrum meum delatæ non aliter potestatem tibi faciendam, quam si de præterito quoque damno mihi cavisses. *L.* 8.

TIT.

TIT. X.

DE INJURIIS, ET FAMOSIS LIBELLIS.

I.

Injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat. Omne enim, quod jure non fit, injuria fieri dicitur. Hoc generaliter. Specialiter autem injuria dicitur contumelia, interdum injuriae appellatione damnum culpa datum significatur, ut in *L. Aqu.* dicere solemus: interdum iniquitatem injuriam dicimus. Nam cum quis inique, vel injuste sententiam dixerit, injuriam ex eo dictam, quod jure, & justitia caret, quasi non juriam: contumeliam autem a contemnendo. *L.* 1.

2. Injuriam autem fieri Labeo ait, aut re, aut verbis: re, quoties manus inferuntur, verbis autem, quoties non manus inferuntur, ut cum convicium fit. *L.* 1. §. 1.

3. Omnem autem injuriam aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut ad

infamiam pertinere: in corpus fit, cum quis pulsatur: ad dignitatem, cum comes matronæ abducitur: ad infamiam, cum pudicitia attentatur. *L.* 1. §. 2.

4. Item, aut per semetipsum alicui fit injuria, aut per alias personas. Per semetipsum, cum directò ipsi patrifamilias, vel matrifamilias fit injuria: per alias, cum per consequentiam fit, ut cum fit liberis meis, vel servis meis, vel uxori, nuruive. Spectat enim ad nos injuria, quæ iis fit, qui vel potestati nostræ, vel affectui subjecti sunt *L.* 1. §. 3.

5. Hæredis interest defuncti existimationem purgare *L.* 1. §. 6. Sane sunt quidam, qui facere non possunt injuriam, ut puta furiosus, & impubes, qui doli capax non est. Cum enim injuria ex affectu facientis consistat, consequens erit dicere, hos, sive pulsent, sive convicium dicant, injuriam fecisse non videri *L.* 3. §. 1.

6. Atrocem injuriam quasi contumeliosiorem, & majorem accipimus, atrocem autem injuriam, aut persona,

aut

aut tempore, aut re ipsa fieri Labeo ait. Personæ atrocior injuria fit, ut cum magistratui, cum parenti, patrono fiat. Tempore, si ludis & in conspectu Prætoris; nam Prætoris in conspectu, an in solitudine injuria facta sit, multum interesse ait: quia atrocior est quæ in conspectu fit. *L.* 7 *§.* 7. *&* 8.

7. Injuriarum actio ex bono, & æquo est: & dissimulatione aboletur. Si quis enim injuriam dereliquerit, hoc est statim passus, ad animum suum non revocaverit, postea ex pænitentia remissam injuriam non poterit recolere. *L.* 11. *§.* 1

8. Qui accepit satisdationem, injuriam suam remisit. Nam & si nuda voluntate injuriam remisit, indubitate dicendum est, extingui injuriarum actionem, non minus quam si tempore abolita fuerit injuria. *L.* 17. *§.* 6.

9. Iniuriarum causa non publici judicii, sed privati continet querelam. *L.* 7. *C. de injuriis.*

10. Injurarum actio, neque hæredi, neque in hæredem datur *L.* 13. Lite vero

contestata hæc actio ad successores pertinet. *d. L.*

11. Is qui jure publico utitur, non videtur injuriæ faciendæ causa hoc facere. Juris enim executio non habet injuriam. *L.* 13. §. 1.

12. Quæ jure potestatis a Magistratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent. *L.* 13. §. 6.

13. Injuriarum actio tibi ex duplici causa competit, cum & maritus in uxoris pudore & Pater in existimatione filiarum propriam injuriam pati intelligantur *L.* 2. *C.* eodem. Convicium autem non tantum præsenti, verum absenti fieri quoque posse Labeo scribit. *L.* 15. *ff. eod.*

14. Injuriarum estimatio non ad id tempus quo judicatur, sed ad id, quo facta est, referri debet. *L.* 21.

15. Si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere injuriarum judicium possit ob infamiam suam, & egestatem, Prætor acriter exequi hanc rem debet, & eos qui injuriam fecerunt, coercere. *L.* 35.

16.

16. Constitutionibus principalibus cavetur, ea quæ infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt, tolli de medio. *L. 37.*

17. Aliud convicii consilio aliquid injuriosum dicere, aliud in rixa inconsulto calore prolapsum convicium obiicere. *L. 5. C. de injur.*

18. Atrocem sine dubio injuriam esse factam manifestum est, si tibi illata est cum esses in Sacerdotio, & dignitatis habitum, & ornamenta præferres. *L. 4. C. eodem.*

19. Si quis famosum libellum, sive domi, sive in publico, vel quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat, prius quam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si vero non statim easdem cartulas, vel corruperit, vel igni consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat, se quasi auctorem hujusmodi delicti, capitali sententiæ subjugandum. *L. un. C. de famosis Libell. v. L. 5. §. 9. L. 15. §. 29. ff. de injur.*

TIT. II.

DE EXTRAORDINARIS CRIMINIBUS.

I.

SOllicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, & si effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extraordinem puniuntur. *L.* 1.

2. Sub prætextu religionis, vel sub specie solvendi voti cætus illicitos, nec a veteranis tentari oportet. *L.* 2.

3. Stellionatus, vel expilatæ hæreditatis judicia accusationem quidem habent, sed non sunt publica. *L.* 3.

4. Debet custodire Proconsul, ne Dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his qui coemptas merces supprimunt, aut a locupletioribus qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus expectant, ne annona oneretur. *L.* 6.

5. Onerant annonam etiam staterae adulterinæ, de quibus D. Hadrianus edi-

edictum proposuit, quo edicto pœnam Legis corneliæ in eos statuit. *L. 6. §. 1.*

TIT. XIII.

DE CONCUSSIONIBUS.

I.

Concussio est terror injectus pecuniæ, vel rei alterius extorquendæ causa. Ita Cujacius.

2. Si simulato præsidis jussu concussio intervenerit, ablatum ejusmodi terrore restitui Præses Provinciæ jubet, & delictum coercet. *L. 1.*

3. Si ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus sit, potest judicium publicum esse ex S. Consultis, quibus pœna Legis Corneliæ teneri jubentur, qui in accusationem innocentium coierint, quive ob accusandum, vel non accusandum, denuntiandum, vel non denuntiandum testimonium, pecuniam acceperint. *L. 2.*

TIT. XIV.

DE ABIGEIS.

I.

Abigei, cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autem durissime non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii. *L.* 1.

2. Abigei autem proprie ii habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædant, & abigendi studium quasi artem exercent, oves de gregibus, vel Boves de armentis abducentes. Cæterum, si quis Bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. *L.* 1. §. 1.

3. Oves pro numero abactorum, aut furem, aut abigeum faciunt. *L.* 3.

4. Eum quoque plenius coercendum qui a stabulo abegit domitum pecus, non a silva, nec grege. *L.* 3. §. 1.

TIT.

TIT. XV.

DE PRAEVARICATIONE.

I.

Prævaricator eſt quaſi varicator, qui adverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. Quod nomen Labeo a varia certatione traxit. Nam, qui prævaricatur, ex utraque parte conſiſtit, quinimmo ex altera. *L.* 1. *ff. eod. tit. L.* 2. *§.* 1., *& L.* 1. *§.* 6. *ad S. C. Turpill.*

2. In omnibus cauſis, præterquam in ſanguine, qui delatorem corruperit, ex Senatuſconſulto pro victo habetur. *L. ult.*

TIT. XVI.

DE RECEPTATORIBUS.

I.

Peximum genus eſt receptatorum, ſine quibus nemo latere diu poteſt. Et præcipitur, ut perinde puniantur, atque Latrones. In pari cauſa habendi

bendi ſunt, qui, cum apprehendere Latrones poſſent, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte, dimiſerunt.

2. Eos, qui ſecum alieni criminis reos occultando eum, eamve ſociarunt, par ipſos & reos pœna expectet: & Latrones quiſquis ſciens ſuſceperit, & eos offerre judicibus ſuperſederit, ſupplicio corporali, aut diſpendio facultatum pro qualitate perſonæ: & judicis æſtimatione plectetur. *L.* 1. *C.* de his qui *Latr.* vel *al. crim.*

3. Latrones auxilio militari inde eximendi, quo aufugerunt & latitant: iique puniendi, qui apud ſe latitantem non exhibent. *L.* 2. *C. eod.*

TIT. XVII.

DE FURIBUS BALNEARIIS.

1.

Fures nocturni extra ordinem audiendi ſunt, & cauſa cognita puniendi. *L.* 1. *ff. eod. L.* 3. §. 1. de Abigeis. *L.* 2. de Effractor.

2. Si

1. Si telo se fures defendunt, vel effractores, vel cæteri his similes, nec quemquam percusserunt, metalli pœna: vel honestiores, relegationibus afficiendi erunt. *L.* 1.

TIT. XVIII.

DE EFFRACTORIBUS, ET EXPILATOTIBUS.

I.

Effractores Carceris, & qui evaserunt, supplicio puniendi *L.* 1. Quod, si per negligentiam custodum evaserunt, levius puniendi. *d. L. v. L.* 13. *ff. de custod., & exhib. reor.*

2. Inter effractores varie animadvertitur. Atrociores enim sunt nocturni effractores. *L.* 2.

TIT. XX.

DE

STELLIONATU.

I.

Maxime in his locum habet Stellionatus, si quis forte rem alii obligatam, dissimulata obligatione, per calliditatem alii distraxerit, vel permutaverit, vel in solutum dederit: nam hæ omnes species Stellionatum continent. *L. 3. §. 1. ff. eod. L. 43. §. 3. de furtis.*

2. Improbum quidem, & criminosum est, easdem res pluribus pignorasse, dissimulando in posteriore obligatione, quod eædem aliis pignori tenerentur. Verum unusquisque securitati suæ consulet, si oblato omnibus debito, criminis instituendi causam peremerit. *L. 1. C. de Crim. Stellion.*

3. Rem donatam obligare Stellionatus est. *L. 2. C. eod.*

TIT.

TIT. XXI.

DE TERMINO MOTO.

I.

DHadrianus in hæc verba reſcripſit: quin peſſimum factum ſit eorum, qui terminos finium cauſa poſitos propulerunt, dubitari non poteſt. De pœna tamen eorum modus ex conditione perſonæ, & mente facientis magis ſtatui poteſt. *L. 2. ff. eod. V. L. 1. C. de accuſ., & inſcr.*

2. Hi quoque, qui finalium quæſtionum obſcurandarum cauſa faciem locorum convertunt, ut ex arbore arbuſtum, aut ex Sylva cædua novale: aut aliquid ejuſmodi faciunt, pœna plectendi ſunt pro perſona, & conditione, & factorum violentia. *L. 3. §. ult.*

TIT.

& mors ſolatium, & vita ſupplicium. *L. 5. C. eod.*

4. Is, qui in reatu decedit, integri ſtatus decedit: extinguitur enim crimen mortalitate: niſi forte quis Majeſtatis reus fuerit. Nam hoc crimine, niſi a ſucceſſoribus purgetur, hæreditas fiſco vindicatur. *L. ult.*

5. Majeſtatis rei etiam poſt mortem tenentur, & confiſcatur eorum ſubſtantia. Et poſt mortem hoc crimen inchoatur: & memoria defuncti damnatur: & res ejus hæredibus auferuntur. Nam ex eo tempore, quo hanc cogitationem ſubiit, propter cogitationem dignus eſt pœna. *L. 6. C. eodem, L. penult. & ult. eod.*

TIT. V.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS COERCENDIS.

I.

Lenocinii crimen Lege Julia de Adulteriis præſcriptum eſt, cum ſit in eum maritum pœna ſtatuta, qui de Adulterio

rio uxoris suæ quid acceperit. *L.* 2. §. 2.; Item in eum, qui in Adulterio deprehensam retinuerit. Ceterum qui patitur uxorem suam delinquere, matrimoniumque suum contemnit, quique contaminatione non indignatur, pœna Adulterii in eum infligitur. *L.* 2. *ff. cod.*

2. Si publico judicio maritus suam uxorem ream faciat, an Lenocinii allegatio repellat maritum ab accusatione? Et putem non repellere. *L.* 2. *ff. eodem*.

3. Lenocinium igitur mariti ipsum onerat: non mulierem excusat. *L.* 2. *ff. eodem*.

4. Extraneus, nequaquam Lenocinium obiiciens, posteaquam Reus factus est criminis, se revelabit, nec maritum pœnæ subiiciet. *L.* 2. *ff. ad eamdem L.* 2. *Jul. de Adult.*

5. Marito mulierem adulteram non est permissum occidere. *L.* 22. §. *ult.*

6. Commissum Adulterium cum eo, cui se postea nuptiis sociavit, velamento

to Matrimonii non extinguitur. *L.* 27. *C. eod.*

7. Adultera in Monasterium detrudenda. *Nov.* 134. *C.* 10.

8. Propter Dotis quaestionem, utrum in lucro marito cedat, an haeredibus mulieris adulterae restituatur, facultatem maritus habeat probationes adulterii praestare. *L. ult. C. ad L. Jul. de adult.*

TIT. VI.

AD LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA.

I.

Lege Julia de vi publica tenetur, qui arma, tela domi suae, in agrove, in villave praeter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit. *L.* 1. *ff. Jul. de vi publ.*

2. In eadem causa sunt qui turbae, seditionisve faciendae consilium injerint, servosque, aut liberos homines in armis habuerint. *L.* 3. *ff. eod. tit.*

L 3. Ea-

3. Eadem Lege tenetur qui pubes cum telo in publico fuerit. In eadem causa sunt, qui peximo exemplo convocata seditione villas expugnaverint, & cum telis, & armis bona rapuerint. *ead. L. ff. eod.*

4. Item tenetur, qui ex incendio aliquid rapuerit. Præterea punitur hujus legis pœna, qui puerum, vel fœminam, vel quemquam per vim stupraverit. *Ead. L. ff. eod.*

5. Sed & qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causa fuerit, vel prohibendi Dominum res suas servare, eadem pœna tenetur. Eadem Lege tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, concusserit, expugnaverit. *Ead. L. ff. eod.*

TIT.

TIT. VII.

AD

LEGEM JUL. DE VI PRIVATA.

I.

Ex constitutionibus principum extra ordinem, qui de naufragiis aliquid diripuerint, puniuntur. Nam, & D. Pius rescripsit, nullam vim nautis fieri debere, & si quis fecerit, ut saeverissime puniatur. *L.* 1. §. 2.

2. Hac Lege tenetur, qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur, pulsaretur, neque homo occisus erit. *L.* 2. *ff. eod.*

3. Sed si nulli convocati, nullique pulsati sint, per injuriam tamen ex bonis alienis quid ablatum sit, hac Lege teneri eum, qui id fecerit, compertum est. *ex L.* 3. §. 2.

4. Creditores, si adversus debitores suos agant, per Judicem id, quod deberi sibi putant, reposcere debent, alioquin si in rem debitoris sui intraverint, id nullo concedente, D. Marcus decrevit,

jus crediti eos non habere. Verba decreti hæc sunt = *Optimum est, ut si, quas te putes habere petitiones, actionibus experiaris. Interim ille in possessione debet morari tu petitor es.* Cum Martianus diceret, *vim nullam feci. Cæsar dixit, tu vim putas esse solum si homines vulnerentur? vis enim est & tunc, quoties quis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit: non puto autem, nec verecundiæ, nec dignitati tuæ convenire. quidquam non jure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris non ab ipso sibi traditam sine ullo judice temere possidere, eumq; sibi jus in eam rem dixisse jus crediti non habebit. L. 7. ff. eod.*

5. Quoniam multa facinora sub uno violentiæ nomine continentur; cum aliis vim inferre certantibus, aliis cum indignatione resistentibus verbera, cædesque crebrò deteguntur admissæ. Placuit, si forte quis ex possidentis parte, vel ex ejus, qui possessionem temere tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentave-

rit, & alterutri parti causam malorum præbuerit: & non jam aut relegatione, aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat. *L. 6. C. eod.*

6. Crimen non dissimile est rapere, & raptam rem scienter, servare. *L. 9. C. eod.*

TIT. VIII.

AD
L. CORN. DE SICARIIS, ET VENEFICIS.

I.

Lege Cornelia de sicariis, & veneficis tenetur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum fuerit: quive hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit: quive, cum Magistratus esset publicove judicio præesset, operam dederit, quo quis falsum judicium profiteretur ut quis innocens circumveniretur, condemnaretur. *L. 1. ff. eod.*

2. Præterea tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur; quive Magistratus, judexve quæstionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica Lege reus fieret, & qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia, cujus conditionis hominem interemerit. *ead. L. ff. eod.*

3. D. vero Adrianus rescripsit, eum qui hominem occiderit, & si non occidendi animo hoc admiserit, absolvi posse. *L.* 1. §. 3.

4. Qui venenum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. *L.* 3 *C. eod*

5. Pigmentarii, si cui temere venena dederint, pœna teneantur hujus Legis. *L.* 3. §. 3.

6. Solent hodie sicarij, & venefici capite puniri. *L.* 3. §. 5.

7. Si quis dolo insulam meam exusserit, capitis pœna plectetur, quasi incendiarius. *L.* 10.

8.

8. In meleficiis voluntas spectatur, non exitus. *L.* 14.

9. Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio. *L.* 1. *C. de Malef. & Math.*

10. Culpa similis est, tam prohibita discere, quam docere. *L.* 8. *C. eod.*

TIT. IX.

AD

LEGEM POMPEIAM DE PARRICIDIIS.

I.

Lege Pompeja de Parricidiis cavetur, ut si quis Patrem, Matrem, Avum, Aviam, Fratrem, Sororem, Patruelem, Matruelem, Patruum, Avunculum, Amitam, Materteram, Consobrinum, Consobrinam, Virum, Uxorem, Generum, Nurum, Socerum, Vitricum, Privignum, Privignam, Patronum, Patronam occiderit, cujusve dolo malo id factum fuerit, ut pœna ea teneatur quæ est legis Corneliæ de sicariis. Sed si Mater quoque filium filiamve occiderit, hujus legis pœna afficitur: & avus, qui nepotem oc-

ciderit: & præterea qui emerit venenum, ut Patri daret, quamvis non potuerit dare. *L.* 1. *ff. eod. tit.*

2. Conscii parricidii pari pœna afficiuntur. *L.* 6.

TIT. X.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS, ET AD S. C. LIBONIANUM.

I.

Pœna Legis Corneliæ irrogatur in eum, qui in falsas testationes faciendas, testimoniave falsa invicem dicenda dolo malo cojerit. *L.* 1.

2. Item, qui ob instruendam advocationem, testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, ex Senatus Consulto coercetur. Sed, si quis ob denuntiandum, remittendumve testimonium, dicendum, vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ afficitur; & qui Judicem corruperit, corrumpendumve curaverit. Sed

&

& si Judex constitutiones principum neglexerit, punitur. *L.* 1. *ff. eod.*

3. Is, qui pervertit vivi testamentum, legis Corneliæ pœna tenetur. Is, qui deposita instrumenta apud alium ab eo prodita esse adversariis suis dicit, accusare eum falsi potest. *Ead. L. ff. eod.*

4. Ad testamenta militum Senatus Consultum pertinet, quo *L.* Cornelia tenentur, qui sibi legatum, fideive commissum adscripserint. *ead. L. ff. eod.*

5. Tutores, & curatores, & ii, qui officio deposito non restituerint Tutelam vel curationem, cum fisco contrahere non possunt. *eadem L. ff. eod.*

6. Iidem Principes rescripserunt, ita demum eum, qui rationem tutelæ, vel curæ nondum reddiderit, cum fisco contrahere non debere, si vivat is cujus tutela administrata est. Nam si decesserit, licet nondum hæredi ejus rationem reddiderit, jure eum contrahere. *eadem L.* 1. *ff. eodem.*

7. Pœna falsi, vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio. *L.* 1. *ff. eod. tit.*

TIT.

TIT. XI.

AD LEGEM IULIAM REPETUNDARUM.

1.

Lege Julia repetundaram tenetur, qui cum aliquam poteſtatem, haberet pecuniam ob judicandum, vel non judicandum, decernendumve acceperit. *L.* 3.

2. Datur ex hac & in hæredes actio intra annum dumtaxat a morte ejus, qui arguebatur. *L.* 2.

3. Ut unius pœna metus poſſit eſſe multorum, ducem, qui male egit ad provinciam quam nudaverit, cum cuſtodia competenti ire præcipimus, ut non ſolum quod ejus non dicam domeſticus, ſed manipularius, & miniſter acceperit, verum etiam quod ipſe a provincialibus noſtris rapuerit, aut ſubſtulerit, in quadruplum exolvat invitus. *L.* 1. *C. eod.*

TIT.

TIT. XII.

AD LEGEM IULIAM DE ANNONA.

I.

Lege Julia de annona pœna ſtatuitur adverſus eum, qui contra annonam fecerit, ſocietatemve coierit, quo annona carior fiat. *L.* 2.

TIT. XIII.

AD LEGEM JULIAM PECULATUS, ET DE SACRILEGIIS, ET DE RESIDUIS.

I.

Lege Julia Peculatus cavetur, ne quis ex pecunia ſacra, religioſa publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem ſuam vertat, neve faciat, quoquis auferat, intercipiat, vel in rem ſuam vertat. *L.* 1. *ff. eod. tit.*

2. Lege Julia de reſiduis tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in eum uſum conſumpſit. *L.* 2.

3.

3. Mandatis cavetur de Sacrilegiis; ut Præsides, Sacrilegos, Latrones, Plagiarios conquirant, & , prout quisque deliquerit, in eum animadvertant. Et sic constitutionibus cavetur, ut sacrilegia extra ordinem digna pœna puniantur. *L.* 4. §. 2.

4. Sacrilegi capite puniuntur. *L.* 9.

5. Publica judicia peculatus, & de residuis, & repetundarum similiter adversus hæredem exercentur; nec immerito, cum in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moveatur. *L. ult.*

TIT. XIV.

AD LEGEM IULIAM DE AMBITU.

I.

Punitur Ambitus Magistratus, & Sacerdotii. *L.* 1. §. 1.

TIT.

TIT. XVI.

AD

S.C. TURPILLIANUM, ET DE ABOLITIONIBUS CRIMINUM.

I.

Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subiicitur. Aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur calumniari est falsa crimina intendere, prævaricari vera crimina abscondere: tergiversari, in universum ab accusatione desistere. *L.* 1. §. 1.

2. Non utique qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur. Nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus, ad accusationem processit, & siquidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum: si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. *L.* 1. §. 3.

4. Et

3. Et in privatis, & in extraordinariis criminibus omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur. *L.* 3.

4. Et qui cœperit arguere, aut vindicta propoſita ſit, ſi vera detulerit, aut ſupplicium, ſi feſellerit. *L.* 7. *in fin. C. de Calum.*

F I N I S.



INDEX

INDEX TITULORUM.

Tit.



LIB. III.

DE JUDICIO PROCESSUQUE CRIMINALI.

 IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numerus prior denotat paginam, posterior vero Paragraphum.

—— pos-

 In-

Jura-

Prox-

Sca-

—— spe-

FINIS.





